



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Tractatvs Tertivs. De Perfectione Reip. circa communem agendi modum
inter Maiores & Minores, & Æquales: ac in gubernatione Familiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

TRACTATUS TERTIVS,
DE PERFECTIO-
NE REIPVB. CIRCA COM-

MVNEM AGENDI MODVM INTER MAIO-
RES, ET MINORES, ET ÆQVALES: AC
in gubernatione Familiarum.

CAPVT I.

REIPVB. PERFECTIIONEM ET FELICITATEM
duabus inniti columnis; VERITATI ET VIRTVTI.



VONIAM Respublica vniuersim est congregatio quæ-
dam multorum hominum, qui eisdem legibus dirigun-
tur & gubernantur: perfectionem suam & felicitatē fun-
datam habet super insignes duas columnas, siue bases,
quas VERITATEM & VIRTVTEM appellare possumus.

Veritas intellectum nostrum illustrat; complectiturque
res omnes, quas ad vltimum ac supremum finem nostrū
consequendum scire tenemur. Sunt autem huiusmodi veritates *duplices*:
quædam *naturales*, rationis lumini conformes, quas Dauid *alumen vultus Do-*
mini appellat: quæ nobis manifestant *bonum* faciendum, & *malum* fugien-
dum. Ex quo *duplici* capite, teste S. Thoma, procedunt omnia *legis natu-*
ralis præcepta, quæ omnes homines obligant & obstringunt, alia sunt ve-
ritates *supernaturales* à Deo D. N. reuelatæ ad manifestanda mysteria cre-
denda; & opera facienda cum ea *excellentiâ*, quam *lex euangelica* in speciali-
bus suis præceptis & consilijs edocet. Hæc veritas est *columna prima*, cui
Reip. & omnium eius partium perfectio innititur. Super eam construitur
religio legum humanarum; verborum nostrorum *candor*; promissionum
fides; commerciorum mutuorum *sinceritas*; mutua hominum inter se *a-*
micitia, & societas, & qua ab omnibus colendus est Deus, *Religio artes omnes*
ac *scientiæ*; *vita denique contemplatiua* in omnibus suis operibus: cuius *caput*
est *suprema veritas*, hoc est ipsemet Deus; & reliquæ veritates, quas suis in-
terdum *amicis* solet *notas* *facere*.

SED quoniam ad salutem & perfectionem nostram nō sufficit cognitio
veritatis, necessaria est altera columna VIRTVTIS: quæ nos ad operanda,

Dua colum-
na Reipubl.

I.
Veritas na-
turalis,
a Psal. 4.7.

1. 2. q. 91. a.
2. 2. q. 94.
a. 2.
Supernatu-
ralis.

2. 2. q. 180
a. 4.

b. Ioh. 15, 15

3. Pol. 1. 6.

que

A-

2.
Virtus Na-
turalis in
humana.

Supernatu-
ralis in Re-
publ. Chri-
stiana.
c Sap. 8. 7.

Virtus &
Veritas so-
cia.
d3. Reg. 7.
15. 21.
e2. Par. 3. 17
f Iere. 52. 21.

De 2 colum-
na templi.

g3. Es. 4. 36.

h Mat. 16. 23

quæ nouimus impellit; Et (Aristotele teste) *finis* est Rerum pub. ac ciuitatum in quibus conueniunt multi; non solum venatalem vitam quiete, sed etiam *studiosè* ducant; studentes scilicet supremo huius vitæ bono, quod est ipsa *virtus*; quæ *duo* complectitur genera *Habuum*, quosdã, qui *rationis* dictamen sequuntur: & hi spectant ad Rempub. quæ *humana* est: alios excellen- tiores, & supernaturales, qui ductum, & lumen *fidei*, sanctiq; Spiritus mo- tionè, & impulsu sequuntur: & hi sunt *finis* Reip. quæ est *Christiana*. Sum- que aded præclari & excellentes, vt Sapiens, loquens de *tempe* antia, *pru- dētia*, *iustitia*, & *fortitudine* à diuina prouidentia prouenientibus, addat: *qui- bus utilius nihil est in vita hominibus*, eò quòd innumeri sunt, & præstantissimi fauores, & præmia in hac & futura vita promissa, eas exercen- tibus: vt omnes Ecclesiæ & Reip. Christianæ ciues animentur, ad vitam super vtram- que hanc columnam firmiter ac solidè fundidam. Quia *virtus* non inueni- tur sine veritate: & *veritas* semper suspirat, vt sociam habeat *virtutē*: cū vtra- que autè obtinebitur *perfectio* & *felicitas*, quam possunt homines desiderare.

H O R V M omnium stupendam quandam figuram licebit videre in celeberrimis illis duabus d *columnis* arsis, quas statuit Rex Salomon in *porticu* templi; *vnam* ad *dextram*, quam *vocauit* IOACHIN, quod firmitatem significat: *alteram* etiam *erexit* *columnam* e *ad* *lauiam* & *vocauit* nomen eius BOOZ, quod significat *fortitudinem*: vtraque autem f *columna* erat *decem* & *octo* cubitorum *altitudinis*, f *porro* *grositudo* eius *quatuer* *digitorum* & *intrinsecu* *cava* erat: & *capitella* *super* *vtamque* *area*; d *in* *modum* *liti* *posuit*. d *Linea* *que- que* *sine* f *funiculus* *din* *modum* *retis* *sive* *catenarum* *duodecim* *cubitorum* *ambie- bat* *septies* *columnam* *versus* *summitatem*: d *malogramata* *autem* *ducenta* *in* *duobus* *ordinibus*, e *centum* *quidem* *catenulis* *sive* *reti* *interposita*: alia *vero* *centum* *exterior* f *dependentia*, d *Que* *omnia* *erant* *fusilia* *ex* *are*. Hæ duæ columnæ in morali sensu significant *veritatem* & *virtutem*: quæ tem- plum Ecclesiæ pulcherrimè exornant, & Rempubliam Christianam cum magna stabilitate & fortitudine sustinent: nihil enim in mundo est sublimius, elegantius, nec firmitus aut fortius, quàm illæ sint. V E R I T A S F I D E I aded altè ascendit vt ad ipsius Trini & vnus Dei summum per- tingat; & suprema mysteria, altissimaque Perfectionis dictamina, quæ excogitari possint, manifestet. V I R T V S etiam Christiana aded est excel- sa, vt ad vnitionem cum ipsomet Deo pertueniat, transformans humanum spiritum in diuinum cum magna inter vtrumque similitudine. g V E R I T A S (vt dicitur in tertio libro Esdræ) *magna* *est*, & *fortior* *præ* *omnibus*, contra quam neque vinum, neque Rex, neque mulier, nec res vlla creata præuale- re potest: quia V E R I T A S *manet*, & *innascit* *in* *atenum*, & *viuit*, & *obit*, *in* *secula* *seculorum*. Et veritas nostræ fidei est aded firma columna, h v-

portantur licet possint eam oppugnare, non tamen prevalere aduersus eam; quia eius soliditas in Christo est inuicta, & VIRTVS Christiana ad eam est fortis columna: vt nulla i tribulationes, angustia, aut persecutiones mundi huius aut carnis possint eam labefactare, aut destruere, eod quod innitatur diuinæ potentia, eiusque gratiæ efficacitati. Quod verò columna illæ inuisibilis erant caue, seu vacuæ, hoc insinuat, quod intellectus & voluntas, in quibus veritas & virtus collocantur, sint ex se ipsis res caue, & absque firmitate & fortitudine aliqua. Quid enim mutabilius ac inanius intellectu humano, si Fide careat? & quid inconstantius ac fragilius voluntate, virtute spoliata? Sed hoc ipsum tamen iuuat, vt veritas & virtus sint in homine iusto firmiores. Nam agnoscens ille vacuitatem suam, & nihilum suum: non sibi sed DE o fidit, à quo & stabilitas & fortitudo illi protueniet. Iuxta illud quod ipse DEVS per os Dauidis dixit, *liquescit terra*, & in nihilum quasi redacta: sed ego confirmavi columnas eius: nam in humilibus animabus valde profundas radices faciunt, VERITAS & VIRTUS. Latet etiam mysterium in eo quod columna essent duodecim cubitorum late, linea siue funiculo mensurata: grossitudo verò esset quatuor digitorum; significat enim (vt ait Beda) quod doctrina vitæ exemplaris duodecim Apostolorum, in quatuor euangelijs nobis proposita, sit amullis & regula, qua nostram debeamus mensurare; & cui debeat nostra firmitas inniti. quod etiam Apostolus ipse significauit, dicens *Insuper adificatos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & vnitos summo angulari lapidi Christo IESU.*

SED quid de capitellis dicemus, quæ sunt suprema columnæ pars? VERITAS enim & VIRTVS capitella sua habent stupendæ pulchritudinis & excellentiæ: quorum acroteria sunt lilia cum multis malogranatis reti insertis, aut ex ea pendentibus. vt intelligamus, tunc veritatem & virtutem prodere pulchritudinem & felicitatem suam, & bonorum, quæ in se continent, sublimitatem: cum crescentes ad suum perueniunt fastigium. VERITAS est instar retis multis mysterijs varijsque præceptis & consilijs, quæ proponit, contextum: VIRTUS est instar catenæ seu torquis multarum anularum, habituum scilicet studiosorum sibi met per prudentiam & charitatem innexorū. Et vtraque ambit septies columnam versus capitellū: vt significetur firmitas, qua iusti catenā veritatū, & virtutum complectuntur, in eam & proficientes de virtute in virtute, & de veritate in veritate. quam ob rem semper impellunt & extimulant ad opera valde gloriosa: tum interiora, quæ significantur per centum malogranata, ipsi reti inserta: tum etiam exteriora quæ indicantur per alia centum, exterius pendentia. Dicuntur autem centum, (qui numerus est perfectionis) ad ostendendam omnium horum o-

perum

i Rom. 8. 5.

Potentia no
stra ex se
vacua in
Deo firma.k Ps. 74. 4.
12. Apostoli.
Lib. de templo
c. 18.4. Euanga-
listæ.

Eph. 2. 20.

Veritas &
virtus pro
fectum.

m Ps. 82. 8.

Eleemosyna
virtus ei.

Premia in-
florum.

n Ad Phil.

1.7

o Ad Rom.

14.17.

p 2. Co. 1.12.

q 1. Co. 15. 37

r 1. Cor. 3. 17.

s Can. 2. 1.

t Mat. 6. 3. 9

3.

Spiritus S.
ignis.

Christus D.

protoplastice

iustorum.

u Gal. 2. 9.

x Phi. 3. 21.

perum multitudinem & præstantiam, quia in singulis inveniuntur multa virtutum exercitia, sicut in malo granato plurima continentur grana. Nam in vnico actu *eleemosyna*, si bene fiat, inuenitur *Fides*, quæ illam dirigit; *Charitas*, quæ illam imperat; *Misericordia*, quæ executioni mandat; *Obedientia*, quæ illam comitatur; *Mortificatio*, quæ obicem remouet; & *Spes* quæ illam reddit facilem & iucundam.

VENIAMVS nunc ad *lilia*, quæ sunt capitellorum extrema, & Symbola præstantissimorum præmiorum & coronarum, quas largitur Deus amplectentibus *veritatem & virtutem*, cum prædicta perfectione, firmitate & constantia. Liliū est *n pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*: o *gaudium in spiritu sancto*: & *p gloria ac lætitiā ex testimonio bonæ conscientie*; est q *victoria* quam dat nobis Deus de nostris inimicis; est *libertas spiritus* cordis latitudo supra omnia creata, de contemplatio summi boni, & cum eodem coniunctio per amorem arctissimum: super omnia tamen *lilium*, quod has columnas coronat, est ipsemet Deus, qui seipsum dignatus est *lilium* appellare ob infinitam suam pulchritudinem & excellentiam: cuius *aspectus* & possessio sufficit ad beatificandos omnes, ipsum aspicientes: cuius *odore* confortantur quicumque spem habent cum videndi ac possidendi; & quicumque pignus habet id consequendi: statim ei pars aliqua incipit *felicitis suæ sortis*. Denique etiam est *fragrans liliū*, præmium ipsum *temporale*, quod illis *adiicitur*, tot diuitiarum, & honorum, quot illis expedit habere, ad hanc vitam ita ducendam, vt æternam consequantur.

SE D quis ad eam peruenire poterit celsitatem? quis præstantem adeo fabricam in templo animæ suæ delineare possit? non enim sine magna aliqua causa hæ columnæ, & earum capitella, lilia ipsa & malogranata omnia erant *ex ære fusili*, & in *protoplastice* fusa: nam quemadmodum *ignis* ipsum æs liquefacit; *protoplastice* verò siue matrix ei dat figuram; & qualis ipsa matrix est, tale prodit, quod in eam infunditur: ita proprium est *spiritui sancti*, diuini sui amoris igne durum cor nostrum emollire: ac liquefacere: vt in rebus omnibus aptet sese *protoplasticæ* suæ, qui est ipse Christus D. infinitæ perfectionis colūna: à qua omnes Iusti figuram suam accipiunt: illi præcipue quos Apostolus, in *Ecclesia columnas* appellat. Ipse est *exemplar veritatis & virtutum* omnium, quæ sunt cordibus nostris imprimenda: quæ eò perfectiores erunt, quod ipsi fuerint magis cõformes: idē quoq; est *protoplastice* insigniorū *operū* quæ Iusti instar malogranatorū producant: quæ opera eò excellentiora erunt: quo magis illa imitabuntur, quæ ipse ad nostrum exemplum edidit. Imò & ipsorum *liliorum*, & *premierum*, electis ipsis reddendorum, est etiam *protoplastice*: quemadmodū enim illum in vita sequi & imitari debent: ita eidem erunt similes in gloria. quia ipse *x reformabit corpus*

hoc

hoc mortale *humilitatis nostrae, ut configureretur corpori claritatis suae.*

DENIQUE cum Respublica Christiana vita ac doctrinae huius Domini erit conformis: tunc omnem suam perfectionem & felicitatem habebit. ac proinde illustria illa cognomina ei competent, quae Isaias Propheta illi imposuit dicens: *Y vocaberis ciuitas Iusti, vrbs fidelis, in qua scil. Iustus Iustorum per fidem, & charitatem habiter: & in qua virtus splendeat, veritas, Iustitia, & sanctitas cum abundantia pacis. Eris quoque vrbs fidelis: ostendens fidelitatem tuam in credendis omnibus, quae Deus reuelat; & in custodiendis legibus ab ipso praescriptis: & in sperandis promissis ab ipso factis. Et ipse Deus in eis adimplendis erit fidelissimus: & enim benedictionem dabit supremus hic legislator, ut ire possis de veritate in veritate; ac de virtute in virtutem: donec videas Deum Deorum in Sion. vbi vocaberis & ciuitas Dei viuentis, Hierusalem caelestis, cuius ciues sunt multa millia Angelorum: eris que eiusdem gloriae particeps in aeternum, Amen.*

4.
Ciuitas Iusti & fidelis
Ysa. 1. 26.
z P. 83. 8.
z Heb. 12. 22

CAPVT II

MAIORES, MINORES, ET AEGVALES DEBERE suis obligationibus satisfacere: & cum Christiana charitate, & humanitate mutuo inter se agere.

NAQUEQUE RESPUBLICA, siue saecularis illa siue Ecclesiastica, siue Religiosa in omnibus suis communitatibus & Familijs tres gradus complectitur personarum, quas licet *Maiores, Minores, & Aequales* appellare. Per *Maiores* in saeculari Repub. (de qua nunc, eo quod prima sit, nominatim agemus) intelligimus Reges, Principes, Gubernatores, Iudices, omnesque priuatos Dominos & Patres familias: *Minores* appellatur subditi, famuli, mercenarij; filij quoque respectu parentum; & vxores respectu suorum virorum. *Aequales* sunt reliqui ciues, amici, fratres; & ipsi Domini inter se, & famuli similiter. Et quemadmodum sanitas & pulchritudo corporis in eo sita est, quod eius oes partes sanae sint & perfectae: ita Reip. & familiae cuiusuis perfectio in eo consistit, vt omnes illi sint perfecti: Superiores in gradu suo, & subditi, & Aequales in suo. Quod *quatuor* hisce rebus praecipue poterunt obtinere.

Tres gradus
Respublicae.

Quatuor ad
perfectionem
horum re-
quisita.
I.
Vocatione
sua contentus
sit.
L. 15. de ci-
uit. c. 8.

PRIMO, si quisque sit eo statu, officio, & gradu contentus, qui a diuinae prouidentiae consilio illis obtigit. eum in modum, qui Tractatus primi, capite septimo est indicatus. Secundo, si inter se ipsos vero amore & conformitate vniatur. Nam (teste S. Augustino) ciuitas est coniunctio quaedam multo-



2.
Amor mu-
tuus.
a Luc. 11. 17.

3.
Singula be-
ne agere.

4.
Affabilitas
mutua.

2.
b Col. 3. 14.
Ca. 4. de di-
uinis nomi-
nibus.
Charitas.
Ser. 3. de Ad-
uentu Col. 3.
de confid.
Serm. 23. in
cant.
Oratio.

c Rom. 13. 7.

d Mat. 7. 12
Quod tibi
vis fieri fac

3.
2. 2. q. 114.
2. 1.

rum hominum, vinculo bonæ & honestæ alicuius amicitia ligatorum. Quo vinculo deficiente, mox ipsa periret. nam (vt ipse Saluator dixit) a *omnere-gnum in se ipsum diuisum desolabitur.*

TERTIO, si omnes studeant muneris sui partes obligationes que exacte cognoscere; & easdem pro viribus explere, *describentes* (vt Salomon ait) *in tabulis cordis sui* (memoria scilicet intellectu & voluntate) leges diuinas, & humanas, & proprias cuiusque status & officij, quæ ad ipsos pertinent; ne eas ob ignorantiam, obliuionem, & diu, aut contemptum custodire prætermittant: neq; obiter & quasi rem non magni momenti obseruent; sed eum omnia excellentia & perfectione, quam virtutes ipsa requirunt, quarum actiones in ipsis legibus indicantur, & præcipiuntur. Sed *quartum* etiam addere oportet, quod est quasi perfectionis signaculum: vt scilicet inter se mutuo cum omni humanitate & affabilitate agant & conuersentur: exhibentes sibi mutuo opera bona, non solum in rebus obligationis & iustitiæ; sed in alijs quoque insignis liberalitatis & misericordiæ. PERFECTÆ siquidem virtutes ad hæc nos trahunt & impellunt: nominatim verò ipsa charitas que est omnium Regina, & lex viua animæ impressa, & b *vinculum totius perfectionis*, cui præcipue incumbit cura trium graduum personarum prædictarum. Amor enim (teste S. Dionysio) efficit iustos *extra se ipsos exire*, & aliorum commodis studere: obediendo maioribus, gubernando minores, & bene agendo cum æqualibus. Charitas etiam ipsam *iustitiam* permouet: cuius munus est vnique dare quod suum est: vt (quemadmodum S. Bernardus ait) debitum suum reddat superioribus, subditis, & reliquis socijs. Et quoniam nullus per se ipsum solum nouit ac potest hæc præstare, vt oportet: etiam impellit ad *orationem* & *contemplationem*: qua impetrent & obtineant aditum ad tres illas Domini nostri cellas: (vt idem Sanctus refert) in quibus doceat nos rationem gubernandi, obediendi, & cum cæteris agendi: vt sic exequantur quod dixit Apostolus: *credidite omnibus debita: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui honorem honorem: nemini quicquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit: nam omne mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum.* Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio. Hoc itaque docet Apostolus, quod charitas nos impellat ad agendum cum nostris proximis, maioribus, minoribus, & æqualibus, d *sicut vellemus illos nobiscum agere.* Admiranda enim prouidentia ita Deus D. N. disposuit; vt omnes hi tres gradus inueniantur in omnibus hominibus. erga diuersas personas: vt quisque alium gubernet sicut cuperet gubernari; & obediat, sicut vellet sibi obediri; ac ita cum alijs agat, sicut vellet secum agi.

AD Hoc ipsum plurimum adiuuatur ipsa charitas ab illa virtute mora-
li, quam

li, quam S. Thomas *affabilitatem* aut humanam *amicitiam* appellat, annexam virtuti *iustitia*: quam tamen ipsa *charitas* supernaturali *amicitia*, quam efficituehit & exaltat: cuius officium & munus est inclinare & impellere nos ad agendum amicè cum omnibus, tanquam boni ciues. Nam (vt Aristoteles ait) distinctum quid esse bonum *hominem*, & esse bonum *ciuem*, ad *primum*. n. satis est tibi *soli* benè viuere: sed ad *secundum* necesse est, etiam nosse benè cum *aliis* agere, qui eiusdem sunt communitatis partes: ac propterea cuidam interroganti Philosophum, in qua re posset melius Reipub. suæ seruire, prudenter respondit, si studeas bonus esse ciuis. Sicut in nulla re possunt oculi & manus melius toti corpori seruire, quàm si oculorum & manuum officijs benè fungantur. Ex quo fiet, vt nemo boni Domini aut famuli; aut ciuis cognomen sortiatur, propterea quòd sit pius, & frequenter oret; si interim incurius sit in sua *gubernatione*, in *obsequio* quod debet; aut si *asperis* sit moribus, cum quo alij agere non possint: bonum enim ex eo oritur, quod quis habeat omnia, quæ iuxta suum statum meritò debet; malum autem, ex quolibet horum defectu. Quare huiusmodi hominib. dicere possemus quod Christus D. N. Phariseis: *hac oportuit facere & illa non omittere*, hoc est, meritò facienda sunt vobis, quæ ad *proprium* pertinent profectum; sed illa non sunt prætermittenda, quæ status & officium vestrum in *aliorum* bonum requirunt,

Ex His concluditur: bonum ciuitatis & familiae in eo præcipuè consistere, quòd superiores, & subditi, & inter se pares, omnes emineant in *Charitate* cum vtraque eius comite *Iustitia* & *Affabilitate*: ita vt omnibus verbis & operibus, singularum proprijs, verè adesse aduertantur. Earum igitur & verba & opera magis præcipua in huius Tractatus decursu tractabimus: accipientes tanquam exemplar imitandum quod Sacra Scriptura de venerabili Booz, eiusque familia refert. Qui non casu aliquo sortitus est hoc nomen, quod postea Salomon secundæ *columnæ* imposuit, quam collocauit in templo, vt proximo capite vidimus: eluxit enim cum magna fortitudine in illis virtutibus, quas columna illa referebat, quemadmodum apparebit in ijs, quæ de ipsis virtutibus paulatim dicemus.

§. 1. *Salutationes & mores siue comitas in agendo.*

ADHIBEAMVS itaque exemplum præclarum in eo quod primum solet euenire in mutua hominum familiaritate, tractatione, in *salutatione*, inquam, & mutua comitate, cum sibi occurrunt homines, aut inuicem visitant, vel excipiunt. In quibus salutationibus *iustitia* reddit reuerentiam, & honorem cuique debitum, *affabilitas* verò indicia præbet amoris, quo se inuicem prosequuntur. Inimici enim, etiam si occurrant si-

3. Poli. c. 2.
Bonus ho-
mo sit &
bonus ciuis.

c Mat. 23. 23

4.
Charitas.
Iustitia.
Affabilitas.

Ruth. 2. 4.

Sathanas
non saluta-
uit Euam.

a Ruth, 24.

4. Eth. c. 6.

S. Tho. 2.

q. 114. a. 1.

ad 2.

Affabilitas

b Eccl. 4. 6.

c 6a. 32. 1.

Li. 4. de co

fid. prop. fin

c c

Sit Christi-

ana.

d 1. Pet. 5. 14.

1. Cor. 16. 20

2. Co 1. 13. 12.

in 2. Cor. 13.

Salutationis
pia efficacia,
in dispositis.

c Ioan. 20.

19. 26.

f Mar. 10. 12.

Luc. 10. 6.

bi, non tamen se salutant, imitantes Patrem tuum *Sathanam*, qui etiam finxil-
set se occurrere *Euæ* in paradiso: propter grauissimum tamen odium quo
illam prosequatur, nullam præmisit salutationem. Qui autem volunt
esse affabiles & humani, incipiunt à salutatione, ut ostendit Booz, cum ad
suos peruenit messores: statim enim dixit a: *Dominus vobiscum*: qui etiam
statim responderunt ei: *benedicat tibi Dominus*. Et ipse Booz profectus est ser-
mones suos, *iustum se & affabilem* ostendens ad omnes; & nominatim erga
Ruth, quamuis pauperem & aduenam. *Affabilitas* enim (teste Aristotele)
extendit sese ad notos & ignotos; ad domesticos & extraneos: nec sol-
ùm pares debent sibi inuicem esse affabiles, sed etiam diuites erga pau-
peres; domini erga famulos, & Principes erga subditos, iuxta illud Sa-
pientis: *b congregationi pauperum affabilem te facio. c Rectorem te posuerunt;*
noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Vitanda sunt tamen extrema omnia
vitiosa: nam (ut Sanctus Bernardus ad Eugeniū Papam dixit) nimia *se-*
ueritas facit odibilem; defectus autem *grauitatis* reddit contemptibi-
lem; mediocritas verò, quam *affabilitas* adhibet, reddit amabilem.
Quæ tamen affabilitas non solum *politica* esse debet, sed *christiana*
& perfecta: cuius prima verba & Salutationes redoleant sanctitatem,
qualis fuit Booz & eius messorum: & quam ipsi Apostoli postea com-
mendarunt, dicentes: *d salutate inuicem in osculo sancto*, & puro abs-
que vllius leuitatis aut indecentiæ admixtione, sicut decet eos, qui
sanctitatem profitentur. Et hac ratione (ut Sanctus Ambrosius aduer-
tit) docebant formam & rationem salutandi, quæ in vsu esse deberet in Ec-
clesia. Non damno genus illud salutationum, quæ sunt ordinariè in vsu a-
pud ciues & viros prudentes iuxta suæ Reip. consuetudinem, siquidem il-
læ sunt signa apta mutuae humanitatis & affabilitatis: sed non possum ta-
men non laudare salutationum illarum perfectionem, in quibus Christia-
na pietas elucet, facta aliqua mentione DEI, aut *Christi D. N.* à quibus
tota nostra salus procedit: decet enim Christianos & multò adhuc ampli-
us Ecclesiasticos & Religiosos ostendere, se tales esse in primis suis ver-
bis; & non uti salutationibus omninò profanis & secularibus, sed
Christianis & religiosis: quibus spirituale aliquod donum proximo pre-
cantur à Deo; aut magno affectu illud eis desiderant. Et nonnunquam
solent Deus D. N. hoc medio concedere tale bonum, quando in eo, cui illud
imprecantur, dispositio est apta ad illud suscipiendum. Hanc ob causam
Christus D. N. salutabat suos discipulos, dicens: *epax vobis*. Et iubebat eos
eisdem verbis salutare, dicentes: *f pax huic domui*: per pacem intelligens re-
conciliationem & amicitiam cum Deo, per eius gratiam, & vnionem &
concordiam mutuam, quæ effectus est charitatis. Et ut intelligerent, ta-

lem

lem illorum in salutationem non fore inanem, quasi verba in ventum proie-
ctā; adiecit, eam pacem venturam in *filios pacis*, cupidos scilicet eius, & qui
ad eam suscipiendam se disponerent. Et hoc ipsum eluxit in salutatione, qua
sanctissima Virgo salutavit Elizabeth. Quamvis enim Euangelium non re-
ferat verba, quæ illa protulit, credendum est tamen eam fuisse vsam verbis
Booz, quæ tunc temporis valde erant in vsu apud viros iustos, imò & ipsos
Angelos, vt constat ex ipso Angelo Gabriele, cum ipsam Virginem sanctis-
simam salutavit. Quare verisimile est, sanctissimam Virginem sanctæ Eli-
zabethæ dixisse: *g Dominus tecum*, & quasi ipsemet Christus in vtero virgi-
nis manens eisdem verbis per os maternum vsus fuisset, voluit ea facere ve-
ra ad eò perfectè, vt inceperit per gratiam esse in infantulo Ioanne, in
vtero Elizabethæ adhuc existente: adimplens vtrumque diuino suo spiritu.
Cum igitur DEI voluntatem & liberalitatem sciamus, magnæ perfectionis
erit, huiusmodi salutationes adhibere non animo ficto, quemadmodū Ioab
salutans Amasa, dixit: *h Salue mi Frater*; Et Iudas proditor, osculans Chri-
stum, dixit: *iaue Rabbi*; nec ob meram consuetudinem, quasi verba projici-
antur in ventum; sed intentione ac desiderio obtinendi à DEO, quod ipsa
verba significant.

HINC intelligitur quòd quando Propheta *k Elisæus puerum suum Giezi*,
& *l Christus Dominus noster suos discipulos* prohibuerunt, *neminem salutare in*
via, nò voluerunt actum hunc amicitia prohibere; sed potius ostendit eius
decentiam, cum illum (vt S. Ambrosius ait) in proximo loco post ipsam obe-
dientiam collocavit. Atque si illis dixisset: ad eò expeditos ac diligentes vos
esse oportet in ijs, quæ iubeo, vt si vel ipsa transeuntium salutio vos aliquo
modo retardaret, deberetis à salutatione abstinere, etiam si illa sit ex se ad eò
decens. Ac proinde non prohibet *studiosam* salutationem, quæ nunquam
est impedimento; sed *inanem*, cui admiscetur colloquia impertinentia: Hæc
enim facile impedit ipsam obedientiam.

SEN vterius deest progredi affabilitatem & amicitiam Christianam, vt
amplectatur Saluatoris consilium, dicentis: non solum fratres esse salutan-
dos, sed etiam *inimicos* & ignotos. Nam, *m si salutaueritis* (inquit) *Frates ve-*
strorum, quid amplius facitis: nonne & Ethnici hoc faciunt? factu igitur quod
illi non faciunt: vt videntes illi tuum exemplum, faciant quod non faciunt;
& fiant ex inimicis amici: idem suavit Apostolus dicens: *n noli vinci a malo &*
improbo, quasi odio te habentem oderis; sed vince in bono malum: aliquo sci-
licet beneficio improbum afficiendo, vt improbus esse desinat. In vitis Pa-
trum legitur: imperfectum quendam S. Macharij discipulum, cum occurre-
ret gentili cuidam lignorum fasciculo onustum, alperè ac duriter dixisse:
vnde venis diabole? gentilem verò ea asperitate indignatum grauitè

B. Virg. Sa-
lutatio vi-
166

g Luc. 1. 28.
41.
Iudic. 6. 12.

Sit viua &
sincera sa-
lutatio.
h 2. Reg. 29.
9.
i Mat. 26. 49

k 1. Reg. 4.
24.
l Luc. 10. 10

In Lucam.
Salutatio
proxima O-
bedientia.

m Mat. 5. 47
Inimici sa-
lutandi.
n Rom. 12.
21.

*Mansuetudo
vicis
gentilem.*

*Prior saluta
etiam mi-
nores.*

*o Phil. 2.
p Rom. 12. 10*

*S. Ambr. &
Beda in Lu-
cam.
q. Eccl. 3. 20*

Mat. 10. 12

*Salutatio
subditos
conciliat.*

monachum vulnerasse: sed paulò post occurrente eidem ipso S. Machario, eorum, quæ acciderant ignaro, amanterque & humaniter eidem dicente: saluter te DEVS, bone agricola: illum respondisse: quid in me vidisti, quod tam humaniter me salutes? Machario autè familiarius ad huc respondente: quia video te laborantem, & non otiantem; tunc gentilem humanitatem, & benevolentiam eius admirantè, ad pedes Sancti procidisse, ac ab eo vt Christianum ipsum faceret petiuisse, qui postea etiam factus religiosus, sanctimonix laude claruit.

HINC est quod perfecta humilitas & charitas in huiusmodi occasi-
bus non satis sibi esse existimet, salutantes resalutare (id enim est tanquam debitum iustitiæ) sed præuenit *priorque* salutat, non solum maiores; (id enim iure quodam fieri debet, & qui contra facit, magnam ostendit rusticitatem) sed etiam sibi *pares*, imò & *minores*: id enim est *humilitatis*, imitatoribus Christi valde conforme, de quibus dixit Apostolus, quod *o in humilitate superiores sibi inuicem arbitrentur, p & honore inuicem se præueniant*, etiam in salutationibus consuetis: sicut fecit Booz cum suis messoribus, & Christus Dominus cum suis discipulis, & Virgo sanctissima cum sancta Elizabetha: vt maiorum humilitas (ait sanctus Ambrosius) minores doceret, eisdemque exaltaret, iuxta illud Ecclesiastici: *q quanto magnus es humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*; imò etiam coram hominibus, quorum voluntates, & propensiones ad te attrahes, si demisse eos honore præuenias. Ac propterea Christus Dominus noster suis Apostolis dixit: *intrantes in domum, salutate eam*; omnes scilicet, qui in ea sunt, non solum superiores ac dominos, sed filios etiam & famulos, omnibus applaudendo & blandiendo: sic enim eos præparatis ac dispositis, vt vos audiant, seque affabiles vobis ostendant: eum in modum, quo messor Booz audientes ad eò benignam Domini sui salutationem, ex ea didicerunt, quid facere deberent: & cum viderent, se non posse ad eò propensæ eius voluntati par aliquid referre, recurrerunt ad vniuersalem pauperum patronum, dicentes: *Benedicat tibi Dominus*. Quasi dixerint:

Dominus Deus Israel te benedictionibus repleat, ob istum
amorem, quem erga nos ostendis; & honorem,
quo nos afficis.

CAPVT III.

REVERENTIA ET OBEDIENTIA SVBDITORVM
ac domesticorum ad Superiores ac Dominos suos: &
quam exactam Apostolus eis commendat.

IVRE optimo ait S. Ambrosius, quod quemadmodum humani corporis membra ita proprijs funguntur officijs, vt nullum sibi vsurpet, quod ad alterum pertinet: nam oculi ita ad videndum sunt intenti, vt non se ad audiendum ingerant; & aures ad audiendum solum, non ad videndum attendant ita in Republica & familia debet quisq; ita rebus status & officij sui attendere, vt non se immisceat in ea, quæ ad ipsum non spectant, cum aliqua iniuria aut turbatione reliquorum, quorum officia vsurparet, cum in modum quo a Aaron ex Dei præscripto officia *tabernaculi* & *onera*, que portare deberent *Leuita*, distribuere: & vnusquisq; ita portabat, quod ad se pertinebat, vt non se immisceret ad aliquid portandum, quod pertineret ad alios: *vnusquemque autem recessit Moyses iuxta officium & onera sua, sicut præcepit ei Deus.* Quare contra Dei ordinem & voluntatem facit, si Reipublicæ ordinem perturbes, siue negligendo, quod spectat ad tuum officium; siue immiscendo te in alienum. Satis tibi sit, quod Christus D. N. dixit; *b vt tollas crucem tuam*, non te immiscendo indifferetè ad tollendam alienam. Satis enim feceris, si oneris tibi impositi bonam reddideris rationem: nã (vt ait Apostolus) *c vnusquisque onus suum portabit*, quod nisi rectè faciat, punietur: Dominus rationem reddet gubernationis, quæ ad ipsum pertinet; *famulus* suæ obedientiæ, quia hæc ad illos spectant: eorumq; perfectio in eo consistit, vt id, & eo modo præstent, quo debent. Quam perfectionem declarauit Apostolus ita loquens cum seruis: *d serui obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino: e siue seruus siue liber: qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gesserit: & non est personarum acceptio apud Deum.* Hæc est altissima perfectionis regula, quam tradit Apostolus omnibus subditis erga suos Dominos seruandam; in qua octo indicat excellentias, obedientiam, vt ex omni parte sit perfecta, comitantes.

PRIMA excellentia, cui reliquæ innituntur, est, vt suis Dominis non sicut hominibus seruiant, sed sicut Deo & Christo Domino nostro, a quo omnis dominatio & potestas, quæ inter homines est, procedit: cuius voluntas est, vt inferiores omnes Superioribus suis obediant, subditi Principibus, & serui suis Dominis. Et propterea dixit idem Apostolus, f

Lib. 3. offic.
cap. 5.Neglige ali-
ena, cura
sua.a Num. 4.
19. 19.

b Luc. 9. 23.

c Gal. 6. 5.

d Ephes. 6. 5.

e Colos. 3. 22
25.Octo excel-
lencia Obe-
dientia.I.
Deo obedi-
tur.

omnem

f Rom. 13. 1.
Nobilis est
Obedientia.

Hom. 22. in
ad Ephes.

2.

Ita S. Tho.
super cap. 6.
ad Ephes.
et Pet. 2. 8
Reuerentia
iungatur.

h 1 Reg. 24
7.

Dauid Sau-
lem reuer-
etur.

i 1 Tim. 6. 1.

3.
Simplicitas.

4.
Eadem ab-
senti qua
praesenti fi-
delitas ser-
uetur.

omnem potestatem (siue Ecclesiasticam siue saecularem) esse a Deo, omnia autem
qua sunt, a Deo esse ordinata. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistere,
ac sibi ipsi damnationem acquirere. Quod si subiectio quaecunque nobili a deo
intentione extollatur, magnam inducet Christiana nobilitatem, quia in tem-
porali Domino agnoscit aeternum. Et hoc nomine (vt ait S. Chrysostom.)
non vilitas est, sed magna nobilitas seruire & obedire homini, siquidem in eo
obeditur Deo, cui seruire est regnare.

Hinc oritur secunda conditio siue excellentia, qua obedientia adiun-
git timorem ac tremorem, vt scilicet reuerentia sit interior & exterior: nam
exterior pertinet ad humanam politiam; interior autem est propria Chri-
stianae perfectionis, qua quis cum humilitate reueretur eum, quem DEVS
loco suo constituit in terra. Et in hoc sensu dixit S. Petrus: *g serui subditi esto-
te in omni timore Domini*, quod (vt S. Thomas declarat) significat cum timo-
re integro & perfecto; non seruili & coacto, sed spontaneo, filiali, & casto;
manifestando illum in omnibus operibus & verbis ac reliquis moribus &
actionibus receptis & visitatis; non vt ad oculum tantum satisfiat, sed ex cor-
de, & tanquam Christo, quem ipsi Domini representant. Hoc modo Da-
uid reuebatur Saulem, eo quod esset Rex, & h *Christus Domini*: licet enim
ille in se improbus esset: Dauid tamen venerabatur in eo regiam dignitate,
qua erat bona; & simul doluit ac *perousit cor suum Dauid*, eo quod abscessisset e-
ram Chlamydis Saul, hoc exemplo nos instruens, non solum ipsam personam
superioris; sed quamcumque eius rem debere cum magna reuerentia tracta-
ri; grauemque culpam iudicari quamcumque in eam admissam iniuriam aut
indecentiam, etiamsi leuis alias videatur: praecipue cum (vt ait Apostolus)
ita detur Dominis occasio impatientiae aut etiam i *blasphemiae*: bonus autem
seruus remouere debet, quidquid suum Dominum offendere possit.

Hic excellentia adiungitur tertia, quam Apostolus *simplicitatem cordis*,
siue cor simplex appellat, cum quo vult Deus sibi seruire, ac Dominis: Con-
sistit autem haec excellentia in eo, vt eis seruiatur intentione pura, & sinea,
absque fictione, duplicitate aut fraude, cum fidelitate & veritate, ita vt
bonus animus sit in corde, qui exterius apparet, & exterius ita bonum ostē-
datur, sicut habetur interior, vt verba operibus respondeant; & vtraque
bonis affectibus internis.

Et propterea quartam addit conditionem, *non ad oculum seruientes, quasi
hominibus placentes*: vt scilicet non solum cum ipsi Domini praesentes sunt,
seruire & placere studeant, quod faciunt illi, qui tantum quaerunt ho-
minibus placere, a quibus temporale aliquod commodum quaerunt, &
expectant: sed vt solliciti sint ac fideles, tam in praesentia, quam in absentia,
& in omni loco: nam supremus omnium Dominus, qui vbiq; praesens est,

ita fieri statuit, & ita vult; viderique quod fit: & complacet sibi, cum iuxta suam voluntatem id fieri videt: ita enim S. Chrysostomus, si ea quæ iubentur cum pari animi tui voluptate præstes, cum non videris ab hominibus: ostendis quod ea propter oculum Dei perpetuo vigilem cuncta videntem facias. Quod si attentius ac zelantis præfecti domus præsentia sufficiens est, ut reliqui domestici sint diligentes, etiam absente Domino, quanto magis ad id sufficere debet præsentia Domini celi & terræ, qui valde magno zelo vult, Dominis temporalibus exactam obedientiam præstari: alioquin eveniet eis quod Saluator noster in quadam parabola dixit: *quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facis Dominus meus venire, & ceperit percutere servos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus servus illius in die, qua non sperat, & hora qua ignorat: & dividet eum, l partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* Aptè verò dixit quod ponet eum cum hypocritis: hypocrita enim est, fictusque servus, qui præsentem tantum Domino illi seruit, non absente: ex hoc enim quod absenti Domino non seruiat, planè efficitur, quod nec præsentem ex corde seruiat: sed ad oculum tantum, & pro forma, fingens tunc animum, quem reuera non habet.

Hinc etiam quinta oritur conditio & excellentia, ut scilicet ex animo & cum bona voluntate obediatur, ita ut adsit hilaritas, promptitudo, ac celeritas, sicut solent homines res illas aggredi, quæ valde ipsos delectant: ut talis adsit VOLUNTAS, quæ BONÆ cognomen mereatur: eò quod innitatur puro Christi amori, propter quem cum magna sua voluptate operantur. Et de hac prompta voluntate ait S. Chrysostomus, quod faciat ex necessitate virtutem; ideoque in causa est, cur servi & famuli multum in suis obsequiis promereantur: non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Ac propterea adiecit Apostolus: *facientes voluntatem Dei.* Hoc est quidquid feceritis, eodem fervore & spiritu facite, quasi ipsemet Deus id fieri iuberet: si quidem ipse verè iubet quidquid superiores, ipsius nomine iubent: & de omnibus illis intelligitur, quod suis discipulis Christus dixit: *in qui vos audit, me audit:* ita tamen, si Domini imperent, ut oportet: seruantes scilicet subordinationem, qua supremo Domino ipsi debent obedire. Et hac ratione intelligitur quod idem Apostolus dixit: *serui obedite in per omnia Dominis, quæ scilicet sunt licita & honesta: nam si mala sint; & prohibita, quæuis sub culpa veniali: nullo modo est illis obediendum, sed respondendum potius, quod Apostoli Concilio Pharisæorum responderunt: obedire oportet Deo magis, quam hominibus: & iterum si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum iudicare.* Si enim civitatis gubernator aliquid iubeat contra legem & præscriptum Regis, non est huius mens & voluntas, ut illi obediatur: si quidem in ea re non gubernatorem agit, sed transgressorem: &

Hom. 22. in
Epi. ad Eph.

Luc. 17. 45

Mat. 24. 51

Hypocrita.

5.
Voluntas
bona.

ubi supra.

Luc. 10.
16.

6.
Col. 3. 22.
in omnibus
honestis.
1. Pet. 2. 19.
p. Cap. 4. 19

Prudentia
Superiorum
Obedientia
Inferiorum.

7.

q. 1. Pet. 2. 18
Patientia.

Christus o-
bediens us-
que ad cru-
cem.
1. Vers. 21.

Hen quotie
meruisti?

8.

Spes in Deū
5. Col. 3. 34.

Dominus, qui rem iniustam imperat, non officium & partes Domini, sed tyranni exercet: ac proinde nec in ea re Dei vices gerit, sed potius Dæmonis, à quo tanquam à fonte iniustum illud mandatum prouenit. Hoc igitur casu excepto, obedientia debet esse vniuersalis, & per omnia, quæcunque imperantur magna & parua, facilia ac difficilia: quia in illis omnibus Dei voluntas elucet, iubentis ea executioni mandari: modò non transgrediantur limites potestatis eius, qui imperat, nec aperte excedant vires & facultatem eius, cui coniunguntur: id enim totū spectat ad prudentiam: quæ omnium virtutum est regula: quæ magis est ipsis gubernatoribus necessaria, vt postea dicitur. Nam obtemperantium prudentia solum exigit, vt in omnibus sese subijciant, quæ non sunt manifestè mala, nec impossibilia; aut indecentia, & à sua professione & statu aliena.

Ex Quo fit, vt eorum obedientia & subiectio comitem habere debeat iniquam patientiam: debet enim se extendere (vt S. Petrus ait) ad seruendum & obediendum fideliter principibus, & q. Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, qui seueri sunt, & quibus difficilè satis fit: cuius rei rationem reddit, dicens: *hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quasi dixerit, in hoc Dei gratia & amicitia consistit, & hac ratione obtinetur: si, vt seruus, puram ad Deum conscientiam seruet, cupiatque illi placere: toleret patienter tristitias & afflictiones, quas sine causa Domini furor & morositas illi infert, ita vt benè seruens, malum recipiat, & pro opere, quo præmium merebatur, pœnam accipiat. Que enim est gloria apud Deum, peccantes & colaphizati suffertis? sed si benè facientes, & obedientes, vt par est, patienter sustinetis absque murmuratione, & querelis, iniurias à Dominis vestris illatas: hac magna est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, ad obediendum scilicet, non modò Dominis, qui se benignos erga vos ostendunt; sed & ijs, qui durius vobiscum agunt, & iniuriâ inferunt: Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autē iudicanti se iniuste. Nam si seruator mundi, innocens cum esset, iniquis se iudicibus, ac nefarijs præsidibus subiecit, eorumque iussis, omnem rationem excedentibus, est obsecutus: quanto erit æquius, vt Domini eiusdem amore, Dominis suis serui obediant, ijsque etiam immitibus & duris se subijciant? Quamuis enim tunc iniuste, ac nullo suo demerito vapulant: forsitan alia olim commisere, ob quæ hanc castigationem, vel etiam maiorem commeriti sint. Ne verò serui ac subditi qui fideliter seruientes, neque proficiunt, neque mercedem suam aut præmium vllum accipiunt, sed quotidie contra affliguntur magis, & tunduntur, tædio ac mœrore conficiantur, hoc modo*

modo

modo concludens Apostolus, illos consolatur: *quodcumque facitis, ex animo operamini, scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis; & quisque eius quod gessit, mercedem accipiet: quasi diceret, si Domini temporales obsequia vestra digna mercede non compensent, Deus eadem suo tempore remunerabitur: modo illius amore seruiatis: ac tametsi præmia temporalia amittatis, æterna tamen hereditate non frustrabimini, si Domini crudeles sint, & iniqui, patientiam nolite amittere, aut vindictam deposcere: Dei namque est, iniuriarum vestrarum ultionem sumere; & sine vlllo personarum discrimine in vos affligentes animaduertere. Quod tametsi in hac vita non faciat, in alia faciet haud dubiè, statuens vt *potentes potenter tormenta patientur*; & fortem ac locum, quem hinc habuerunt, ita commutent, vt qui dum viuerent, ad dexteram fuere, & eadem crudeliter sunt abusi: ad sinistram statuatur cum illis, qui æternis ignibus adiudicandi sunt: subditi verò & serui, qui hac in vita ad sinistram fuerunt coniecti, & in humilitate vixerunt, ad dextram inter electos & cælo destinatos collocentur.*

Hæ sunt summarim perfectæ obedientiæ partes, & conditiones: in qua omnis sæcularium seruorum perfectio consistit: de quibus in Tractatu de statu Religiosorum copiosius agetur. At opus fuit hic illas recensere, vt sæculares sublimitatem perfectionis, quam lex Christiana ab iisdem exigit, cognoscant; nec ad solos religiosos illam referant: cum & ipsi in eandem & debeant & possint incumbere; & media suppetant, quibus facile ad eam pertingant, nullo nouo exteriori labore adhibito, sed in melius mutatis duntaxat affectibus & intentionibus interioribus. Quod si hæc non tantum à seruis domesticis communibusque, sed & ab aliis, qui nobiles sunt, Regibusque ac principibus in aula obsequuntur, notarentur; eodem & pari labore maius tunc commodum profectò perciperent. Quis, obsecro, ad eò de mens ac vecors foret, vt eodem, quo aurum eruere posset, labore ac sudore ferrù effoderet? Ecquis mercator ad eò puer, vt pecuniam omnem insumat in eas merces, quæ nõ nisi decuplum pariant: cum aliz ad manù foret, è quibus centuplum lucrum affulgeret: vnde infero, si iisdem laboribus externis & obsequiis *regnum cælorum* promereri queas, intentionem tantum eo, quo diximus, modo extollendo: quanta tuà ignavia ac stupor futurus est, temporali mercede contentum viuere, eò quòd non nisi humana vilique intentione eadem exerceas? Quid verò si etiam *minor* labor tuus erit? nam gratia, patientia, & æternæ mercedis spes illum suauiore reddent: inò nec temporalem, quæ tibi expediens conueniensque erit, amittes; cum

Dominus nouerit, illos, à quibus remunerationem accipere debes, ita excitare, & impellere, vt mercedem tibi non sint denegaturi.

Deu vris-
que iustam
reddes mer-
ced. in his
in futuro.

1. sup. 6. 7.

Minor la-
bor & certior
merces pura
intentionis.

CAPVT IV.

RATIO GVBERNANDI FAMILIAM; CVM FAMULIS AGENDI, & EISDEM DE TEMPORALIBUS REBUS NECESSARIIS PROSPICIENDI.



VEMADMODVM omnis seruorum perfectio in obediendo Dominis, vt iam diximus, sita est: ita Dominorum perfectio consistit in præcipiendo; seruisque, & omnibus familiarum membris debita ratione regendis, idque ex prudentia, ac præsertim illius, quam *æconomicam* dicunt, præscripto: cuius est benè ac ritè familiam regere, quæ quamuis ab alijs discrepet, quas *politice* ac *regnatiuam* nuncupant, quarum est ciuitates ac regna ritè administrare: in multis tamè inter se conueniunt. Ex ijs verò, quæ in tractatu sequenti de Regum ac Reip. Rectorum perfectione dicturi sumus, ampliùs intelligemus, quæ ad priuatos quosque Dominos circa propriæ domus administrationem spectant: cum teste S. Chryso. ciuitas quædam sit vniuscuiusque domus, & princeps sit quisque domus suæ. Ad hæc, quæcunque Rex in regno; præfectus in vrbe; in Rep. Iudex exequitur: hæc & patrè familias domi (præsertim si ipsa numerosa sit, & varij in eadem famulorum sint ordines, malorum alij, alij minorum) suo modo facere debere certissimū est. Sed præter hoc multa ad ipsam, eiusque gubernationis rationem propriam spectant: quæ tamen & ad Reges: & Dynastas, & omnes in genere præfectos ac Iudices tū Ecclesiasticos, tū sæculares referri queant, iuxta præclarū illud D. Bernardi ad Eugenium Papam consiliū: *In palatio* (inquit) *Papæ domi te patrè familias exhibe.* Hoc planè modo rex, & alij principes regiam ac principis dignitatē in publico exercent, statusque sui auctoritatem & magnificentiam tueantur: at cum versantur domi propriæ, affabiles se & benignos exhibeant, instarque patris familias, eiusdem directioni sedulo intendant. In quo patres omnes familias ac dominos hanc perfectionis regulam, quam Apostolus, enarratis famulorum erga suos dominos obligationibus, refert, seruare par est. Dominos enim, de modo quo erga suos se gerere oporteat, sic statim alloquitur: *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minus scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud eum.* Quid est, inquit S. Chryso. aliud *eadem facite illis*: nisi vt vobis illi seruiunt, ita & vos illis seruite? si enim omnes obligationes adimpleatis, quas Christiana lex Christianis & perfectis Dominis præcipit: multa haud dubiè occurrēt, in quibus seruis vestris obsequimini; & pro ipsius laboratis, vt ipsi alias pro vobis. Quocirca dominorum non est, simpliciter

impe-

Hom. 22. in
Epi. ad Eph.

Lib. 4. de
consid. pro-
pe sineas.

Ephes. 6. 5. in
v. 9.

b Eph. 6. 9.
vbi supra.

imperare ac iubere; sed ita, vt Deo obedire, & obsequi videantur. Si enim serui Dominis, vt Deo, cuius locum tenent, parere debent; & quia idem ipse Deus vult vt illis obediant, ac seruiant: æquissimum videtur, vt Domini in Dei nomine seruis præcipiant, & regant ea omnino forma, qua Deus vult, eos præcipere, partesque suas agere. Cum igitur Deus, quamuis supremus omnium Dominus, non tyranni sed patris instar regat: seruis suis cum amore paterno, mansuetè, benigne, prudenter & clementer imperat; & semper, quæ bona sunt, nunquam autem mala; & vniuseuiusque capacitati & viribus accommodata, nunquam verò supra illas iniungit. opportunè & illorum imbecillitatis misertus de necessarijs omnibus abundè illis proficit illorum defectus ex charitate corrigit, & ad tempus sustinet, & indulgenter illorum infirmitatibus conuiuet. Hæc aliaque similia Deus cum seruis suis agit, suo Dominos exemplo inuitans, vt quemadmodum suo ipse, ita illi vicissim suo fungantur officio. Quare cum illi, obedite sibi seruos velint, vti ipse præcepit Deus, idcirco eo etiam imperent modo, quem Deus præscribit: atque vt Deus vnà cum Domini officio Spiritum etiam paternum induit: ita quoque illi erga seruos se & dominos, & patres exhibeant, vt vicissim serui velut filii etiam illis obsequantur.

§. I. *Nihil aut legi diuina, aut rationi contrarium seruis esse imperandum.*

IDIPSVM idem Apostolus alio in loco latius deducit, dicens, quod iam diximus: a Domini, quod iustum est & æquum, seruis prestare, scientes, quod & vos Dominum habetis in celo. quasi dixerit: attendite, ne quid iniquum vnquã, aut legi Dei, rationique aduersarium seruis imperetis, sed æqua diuinæque voluntati vsquequaque respondentia: quin nec omnia, quæ licita sunt, illis iniungenda: sed moderatè, & ea tantum, quæ illorum conditioni consentanea sunt; quæque iuxta eam commodè exequi poterunt: non graui eos labore exercendo, aut opprimendo: ne defatigati, deficiant. Ad hæc & iustæ illorum expostulationes exaudiendæ; & labor relaxandus, cum opprimuntur, & quietem aliquam sibi dari petunt. Nolite Pharaonem æmulari, graui tyrannidis iugo Hebræos operi lateritio insudantes opprimentem; tam durum enim pensum imponere, vt ferendo non essent; Nam rotidem ab iisdem lateres fieri volebat, cum stipulas colligere ipsi cogentur quot ante, cum b palea ab operum præfectis darentur: & quãuis impares se oneri dicerent, & laborè detrectarèt: surda aure omnia excipiebat, nec de labore quidquam diminuebat. Iob potius sequamini, qui quamuis ea auctoritate foret, omnes vt illo præsentem, obtumescerent: hoc tamen de sciplo testatus est: c. si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea: cum disceptarent aduersum me. quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus: & cum qua

Dominus imperando obediunt Deo & seruiunt subditis.

Deus pater esse maius quam Dominus. Idem faciant Domini. Tract. 4. c. 7. hoc latius habetur.

a Col. 4. 1.

Licita & moderata iniungenda.

Audiendi subditi.

b Exod. 5. 7. 8.

c Iob. 31. 13.

Lib. 22. mor.
c. 10.

Domini ex-
tremum re-
cogitent iu-
dicium.
d. 1er. 34. 13.

Ex S. Greg.

Vbi supra.

Domini na-
tura pares
seruis.

c. Macl. 4. 10

serui: quid respondebo illi: nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus? Duplicem hic (vt bene S. Gregorius ponderat) rationem ponit, qua veluti fræno quodam retinebatur, ne in seruos durius animaduerteteret: oculos enim in *Deum*, supremum omnium Dominum conijciens; cogitabat primùm quid ille in vitæ extremo cum omnibus facturus esset; & quid deinde in eiusdem exordio fecerit. Quod verò ratio prior validior ac efficacior videretur, primo propterea loco illam posuit: Deum scilicet omnes sine vlla personarum acceptione iudicaturum. Quare si seruo iniuriam herus irrogarit; quid faciet, cum ab illo rationem exacturus est Deus? quid respondebit, illata iniuriæ rationem petenti? dicit forsitan, seruum illum suum fuisse. Sed ratio illa omnino reiicietur: tum quod lex Dei illum tuebatur: tum quod, cum & ipse seruus Dei esset, legem & iussa illius seruare debuit. Ad eod enim strictè Deus leges de seruis conditas voluit seruari, vt per Ieremiam Prophetam acerbissimas intentarit minas: *gladii, pestis & famis, ac seruitutis*, ijs qui easdem infringere ausi fuerunt. Hoc porro fræno Domini & superiores Prælati se ipsos continere debent ne, qua pollent, imperandi potentia eos in præcipitium abripiat. Et, si coniectis in subditos, quos imperio premunt, oculis, insolescere contingat: eisdem in iudicem, cuius tribunali subiecti & ipsi sunt eleuatis, se humiliabunt; neque cum seruis æqua postulantis, in iudicium descendere dedignabuntur; sed boni æquique iudicis ipsi partes obibunt: Deus enim iniquos & dueros iudicaturus ac puniturus dominos, cum illis in iudicium descendet; seruorum oppressorum partes & iustitiam tuebitur.

ALTERA, qua se ipsum velut fræno retinebat Iob, ratio hæc erat, quod idè Deus, creator esset Dominorū ac seruorū; qui *natura* quidem (vt S. Gregorius ait) ortuq; sunt pares, licet occulta Dei dispositione vnus altero conditione sit maior aut minor. at, qui sanctimonix student, quod se intra humilitatis terminos contineant, & superbiae tumorē reprimant, oculos suos à sua prælatione ac præeminentia auertunt; & inæqualitatem illam naturæque paritatem eisdem conijciunt, *nec præesse gaudet hominibus, sed prædesse*: primùm sibi, deinde alijs: atque ita regunt & imperant, vt & humilitatem conferuent, & auctoritatem tueantur: *exterius*, vt Domini imperent, *interius* verò, vt æquales, humilitatem seruent: legem Dei præ oculis assidue habentes, quæ ad omnes in genere homines extenditur, & neminem nõ obligat: ne forsan à Malachia Propheta audiant: *e nunquid non pater vnus omnium nostrum: nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum, violans pactū patrum nostrorum?* Cū igitur superiores & subditi secundū naturā, fidē, & gratiæ statū fratres sint & æquales, eundē Patre & creatore habentes Deū; & cū ad idem legis pactum seruandū obligati

sint:

linc: rationi minimè consentaneum est, ab altero alterum despici; atque vt seruus herum contemnere non debet; neque Dei legè infringere, quantum ad fidelitatem, & constans obsequium: ita nec seruum dominus; nec in Dei legem, quoad iustitiam & vigilantiam, quam Deus ab eo exigit, impingere: dicit enim: *fme: sunt serui*. Ego illos creau, redemi, & è peccati seruitute eduxi. Quamobrem leges, quas de ijsdem decreui, exactissimè seruari volo.

§. II. *Saluti corporis & anime subditorum esse consulendum*

A BHIS cõfundamentis ad particularia, quæ ad familiarum gubernationem spectant, & dominis omnibus necessaria sunt descendamus: ne forsan in infidelitatem illam labantur, de qua Apostolus ait: *a si quis suorum curam non habet, & maxime domesticorum fidem negauit, & est infideli deterior*. Quibus verbis duo subditorum genera Apostolus proponit, quos Domini habent; primos vniuersali nomine *suos* nuncupat, quod nonnullis illorum officijs occupentur, vt vasalli, cõsiti, & mercenarij diurni: alij *domestici* dicuntur, quod in domibus suis, vt plurimum agant & familie pars quædam sint. Horum charissimi & intimi sunt filij, & omnes sanguine ipsis coniuncti. Quicumque verò horum omnium curam non habet, ac præsertim posteriorum, fidem negat, si non verbis, saltem opere: cum negligentia sua testetur, fidem se non habere, quam diuina præscribit lex; quamque fides Christiana præcipit: in quo *infideli est deterior*: quod non modò, quæ lumen naturæ dicat; sed & quæ fides Christiana, maiorem seruorum curam gerere præcipiens, quam Gentiles gerant, conculcet. Ne verò huius infidelitatis reus constituatur, allaboret, (inquit Sanctus Chrysostomus) vt quidquid illis tum ad corpus tum ad *animam* necessarium est, prouideat: parum quippe profuerit de iis, quæ corporis sunt, prospexisse; si, quæ ad animam spectant, & maioris momenti sunt, negligantur: nec suffecerit etiam animæ cura; si non & corpori consulatur. Opus igitur est: vt seruis tuis in primis de omnibus quæ corpori sunt necessaria prospicias, prout leges æquitaris & iustitiæ postulant; tam de mercede & stipendiò, ordinariaque vestis, & mensæ prouisione, quam de apta habitatione pro eius personæ qualitate. Si enim suadente Ecclesiastico, *g seruum fidelem quasi fruem germanum trallare, & sicut animam tuam habere debes*: vide porrò quomodo tecum ipse agas: ac tantum de seruo tuo præstare; eumq; sicut te ipsum diligere debere intelliges. Nam etiam de illo hæc legis naturalis præcepta intelligenda sunt: *h Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne in aliquâdo alteri facias: & omnia quacûq; vultis, vt faciât vobis homines: & vos facite illis*. Vide iâ, quo te loco à domino, si seruus fores haberi velles. Cum ergo iam dominus sis, talem te erga ser-

uos

f Leni. 25.
42. 55.

a 1. Tim. 5. 8.

Subditi &
Domestici.

Ira D. Tho.
ibidem.

Ho 14. in 1.
Tim. 1.

1.
g Eccl. 33. 31.
Seruus fra-
ter & ani-
ma tua est.

h Job. 4. 16.
Matt. 7. 12

2.
Misericordia
pauperes. Iu-
sticia subdi-
tos com-
mendat.

k Isa. 58. 7.

Vbi supra.

D. Tho. 2. 2.
q. 32. art. 9.

3.
I Pr. 31. 15. 21
Bene pasceri
magnum
vestigal.

4.
m Deut. 24
14.
Tob. 4. 15.

n Iac. 5. 4.
Peccatum
in celum
clamans.
Ibid.

o Gen. 4. 10
p Gen. 18. 20
q Exod. 3. 9.
r Deut. 24.
14.

5.

uos ostende. Quod si misericordia lex, pauperum te curā habere iubet, panē frangere esurientibus, potum dare sitientibus, vestire nudos, agros inuiserte, peregrinos domo ac lecto suscipere: quanto magis iustitia, Christianae misericordiae tanquam suae sorori coniuncta, idem & seruis tuis praestare iubebit? Insinuat hoc Isaias Propheta dicens: *k frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum; & carne tua ne despexeris: quo loco S. Chrysost. legit: & domesticos seruis tui ne despexeris.* Quamuis enim ad omnes pauperes misericordia ipsa extendatur; ad cognatos tamen & seruos eandem in primis referri par est, qui velut caro tua sunt: erga quos ita gerere te oportet, atque ad rem propriam.

AD HÆC: si sedulo illos tuis in rebus occupati, & grauiter insudare velis, tuum vicissim est illis de vestibus, & omnibus ad laborem tolerandum necessarijs, prospicere. De cordata ac prudēte muliere Sapiens dixit: *l nocte eam surrexisset, & praedam dedisse domesticis suis, & cibaria ancillis: opusq; diuinū siue pensura praescripsisset, nec timere domus sua à frigoribus nitis: quia omnes domestici eius vestiti essent duplicibus, ne manum ab opera retraherent.* In quo si negligens fueris, & in seruos inhumanus, quid ab ipsis expectes aliud, quam maledictiæ spicula, & execrationes: clamabunt, deferent te namque in cælum, ac vindictam à Deo de inhumanitate tua deposcent. Et sane exaudientur; permittetque Deus, ut alij res tuas negligant, sicut tu curā tuorum non habes. Hoc olim Moyses populo suo proposuit: *m non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sed eadem die reddes illi pretiū laboris sui ante occasum solis, quia pauper est: & ex ea sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Et S. Iacobus Apostolus diuitibus mundi ob peccata enormia commissa minas intentans, hoc primo loco posuit, dicens: *n ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, qua fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Et sane Sacrae scripturae solenne est & vlitatum, peccatorum enormitatem per verbum clamoris legenti proponere; unde colligit D. Thomas, quatuor esse peccata in cælum clamantia: homicidium scilicet, eo modo, quo o sanguis Abelis innocenter effusus, vindictam clamore perhibetur; deinde infame Sodomia peccatum, p clamor enim Sodomorum venit ad Deum; iniqua etiam iustorum oppressio, qualis fuit Hebræorum, graui seruitutis iugo in Aegypto oppressorum: q clamor (inquit) filiorum Israel venit ad me. postremo r merces operariorum defraudata. Quod si hæc defraudatio na clamet, cogita ac perpende, quem editura sit clamorum merces & stipendius, quod misello seruo inique detinetur: quo tamen ad vitam tolerandam in primis indiget?

DENIQUE si dominorum mundanorum ac Christianorum discrimen delipi-

despicere volueris, propone tibi quæso *puerum illum Aegyptium*, in quem in mortis articulo iam constitutum milites Dauidis inciderunt, & misericordia moti, panem & aquam, ficos & vvas ei præbuere: quibus penitentibus ecquis esset, respondit *puer Aegyptius ego sum, seruus viri Amaleciti: dereliquit me autem Dominus meus, quia agrotare cepi nudius tertius*. Vnde colligere licet: Dominum hūc fuisse Amalecitam, infidelem, immitem, & crudelem tyrannum: dum seruum, quem sanum & integrum apud se tenuerat, iam ægotantem in medio deseruit itinere, omni ope auxilioque destitutum: quò fame moreretur, aut feris in cibum & escam cederet. Sed miseria eius & inopia, de Domini sui inhumanitate vindictam postulauit. nec frustra: nam Deus clamorem eius audiens; Dauidem excitauit, à quo auxilium & opem, vt iam diximus, accepit: qui ab illo mox ad immitem dominum deductus est: quem Dauid cum vniuersis penè copijs profligauit. Quotquot autem verorum ac *Christianorum* Dominorum volunt nomine gloriari, diligentem (*Dauidis* in morem) seruorum ægotorum, maleque habentiū, curam habent, eosque recreare omni ope conantur: memores, illos dum bene haberent, sedulos seruos egisse.

11. Reg. 30.
13.
Pana crudelis & premium benigui Domini.

CAPVT V.

RATIO; QVA DOMINI SPIRITVALE FAMILIA SVA BONUM PROCURARE, SINGULIS Q. BONÆ VITÆ EXEMPLO PRALUCERE DEBEANT.

RVDENTIVM & Christianorum Dominorum est curare inprimis, seriamque operam dare, vt seruos *virtutibus* insignes, & probos sibi comparent; proprii saltem comodi solatiijque intuitu, quod ab eiusmodi plurimis in rebus habere poterunt. Nam primò, si Deo fideles illi sint, dubitandum non est, quin & Dominis in ijs rebus quæ ipsorum curæ committentur, fideles & sinceri sint futuri: quas Deus & conseruabit & augebit, sicut fecit cum Laban, quem Deus interea, dum *Iacob* seruiret, plurimum locupletauit: sic enim fassus est ipse a *experimento* (inquit) didici: quia benedixerit mihi Deus propter te, & cum *Putiphar* in Aegypto: b cui Dominus benedixit propter *Ioseph* cuius etiam fidelitas honorem & nomen, quod vxor illius pessundare & penitus calcare voluerat, integrum inuiolatūque conseruauit. Apostolus quoque *Philemoni* scribens, eumque ex animo obtestans, vt c *Onesimum* seruum suum fugitiuum reciperet, & in gratiam admitteret, spondit illum

I.

Deo fideles
sint Domini
vtilis,

a Gen 30.27
b Gen 39.5.

c Philem.
Vers. 11.

Tom. 2.

Hh

iam

d Ps. 100. 2.

David nul-
los flagitio-
sos domi re-
tinuit.2.
Qui boni
non sunt,
hos tales
efficiat.

c 1. Ro. 19. 12

3.
Tract. 11. in
Ioan. in fin.Paterfam-
lias sit Epif-
copus.

iam ad Christum conuersum, & vita in meliorem commutata, *utilem ipsi futurum*, tamen si antea *inutilis fuisset*. Quod si insignis illa obedientia, quam ante descripsimus, in seruis eluceret: quanta futura esset dominorum quies! quin potius, si Christianos se esse gloriantur, hoc ipsum sufficere deberent, ne, quem scelestum aut improbum nouerunt: in familiam admitterent, sanctum illum Regem imitati, qui dicebat: *d per ambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus mee: non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prauaricationes odium: non adhaesi mihi cor prauum: declinantem a me malignum non cognoscebam. detrahentem secreto proximo suo, hunc persequabar: superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non eadebam. Oculi mei ad fideles terra: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. non habuisti in medio domus mee qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. quasi diceret: nullos flagitiosos in familiam meam allegebam, quali sperarem meo illos comercio familiaritateq; in melius comutandos: sed opera dabam, ut ad iustos eligerem, qualis ipse esse optabam; & eadem puritate innocentiaque incederent, qua ego. In primis vero studebam, ne quis *superbus* in domo mea uersaretur: id quod eiusdem pacem statim turbaret. Is quoque mihi amicus & familiaris non erat, qui *inhonestam, lasciuam, contumeliosam* in proximum, aut *vana uerba* effutiret: visus enim fuisset illorum nequitia approbare, aliosq; uelle ad eandem imitandam inducere: quo in familiaritate mea ad optarentur. At quoniam non semper huiusmodi reperire datur; merito Dominus diligentem opera dabit, ut quos iam domi habet, tales reddat. omni ratione, magnoque zelo allaborans, ut legem illi diuinam sedulo obseruent; nunquam uero permittet, ut aliquo obsequio, seruitijue sui praetextu eadem uolent. Qui si Dei obliti, in illius legem impingere uoluerint: iustus est id impedire, & reprehendere: si uero ad tale quid faciendum ab eo facultate petierint: c. Dauid respondeat: *e cur efficitur mihi hodie in Satan conuentum a me in rem prauam extorquentes?* Quicumq; uero famulari mihi uoluerit, ac diuinum obsequium meo postponere, nam ille mihi *hostis*, & non seruus futurus; nec amici sed inimici officium facturus. P. ATER hoc tamen (ut S. August. notat) unusquisque paterfamilias in domo sua uelut *Episcopus* & pastor Ecclesiasticus sit oportet, uniuersae familiae Antistitem & custodem agens, & boni Praefulis partes aliquatenus explens; pro Christo, inquit, & pro uita aeterna suos admo neat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat charitatem; ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium, ministras Christo, ut in aeternum sit cum ipso. Intelligat igitur Dominus, uerum se Iesu Christi ministrum esse, ipsiusque ad salutem animarum seruorum suorum procurandam cooperatorem, illos pro modulo suo adiuuando, ut a uitijs abducatur; in uirtutibus proficiat, & regni caelorum participes reddatur.*

§. I. *Idola peccatorum esse amolenda.*

RE huiusce praxis in celebri illo Iacobi facto despicietur, nam Sichem ciuitate à filijs suis, Dinæ sororis raptum vindicantibus, eucrisa, cum sibi metueret, ne vicina oppida in ipsum insurgerent: non sine diuino instinctu vniuersam conuocans familiam: *abscite* (inquit) *Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra: surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis, & socius fuit itineris mei: dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & in aures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum. Cumq; profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non ausi sunt persequi recedentes. Vt insignia historiarum huius documenta dilucidius exponamus, præsupponendum: Rachelem Iacobi uxorem dum paterna domo egrederetur, omnia patris idola, tum aurea, tum argentea clancula sustulisse: idque vel quod (vt Sanctus Chrysostomus, & Rupertus testantur) idololatria infecta esset, quam vnà cum lacte materno luxerat, vel (quod SS. Basilius, & Nazianzenus sentiunt) vt patrem suum ab idolorum cultu (quem illa, à marito edocta, oderat) diuerteret. At quoniam hominum cogitationes occultæ sunt & obscuræ, fieri potuit, vt illa minùs cautè idola seruante, aliquis domesticorum illa supplex coleret. His addo: Simonem & Leui, de excidio Sichimæ nonnulla secum etiam idola tum aurea tum argentea sustulisse, non sine Dei offensâ, & idololatria committendæ periculo. Quod cum Iacob percepisset, vt tanti damni occasione ab illis auerteret, ea protulit, quæ iam supra retulimus. PRIMVM quod hinc documentum elicimus, est: omnè patrèfamilias diligetèr in cubere debere, vt per oēs domus angulos inuestiget, nū aliqua forsã idola in eadè deliteant. idola nãque sunt peccata ac vitia, quæ peccatores supplices adorât, eo modo, quem Tractatu præcedenti descripsimus, quibusque familia male instituta, vt plurimū scater: est enim microcosmus, in quo nō nisi concupiscentia carnis, diuinarum cupiditas, ac superbia vite imperiū ac dominiū occupât. Hęc porro Sacra Scriptura *Deos alienos* hic nuncupât, quodã verò nos Deo auertant, quos ab omni familia Christiana procul abesse oportet, ac multò magis ab eiusdè rectore, ac directore. Si enim tu Pater & Dominus hæc numina vt aliena non reijcis: mirū profectò non est, filios & seruos eiusdè velut proprijs supplicare: & si ipse immersus es vitijs, qui familiæ persuadeas, vt ab eiusdè quã maximè declinet, eaque detestetur? Nō verò crediderim, te ad eò ignauū & abiecto animo fore, vt publicam hanc idololatriam in tuis æquanimitèr toleres: ac deprehenta peccata dissimules, nec corripas.*

SED quoniam improbi filij & serui hæc idola omni studio abscondere

Hh. 2

conan-

Gen. 35. 2.

Gen. 31. 19.
Hom. 57. in
Gen. vido
Initio l. Pro.
Parer. ib.
Oratio de S.
Paschat.

I.

Peccata ex-
tirpanda.
cap. 6.
1. Ioan. 2. 6.

*Inquire ut
pater non
ut hostis.*

d Pr. 24. 15

*Ne sis facie
securus.*

c Gen. 31. 32.

f Luc. 16. 8.

Pro. 30. 20.

*Li. 8 in Gen.
c. p. 1.*

*Deus pecca-
ta vult
tollit.*

10. 7. 12.

conantur: ne forsitan parentes ac Domini talia domi haberi, colique re-
sciant: diligenter propterea attendendum est; & indicia omnia, quæ ea pro-
dant, obseruanda & excutienda; interroganda, inquirendo, quibuscumque
domestici, siue domi siue foris; aliaque quæ prudentia suggeret, consi-
derando: idque non anxie, & instar inimici à *insidiantis*, & *impietatem* in tuis
domesticis *querentis*, ut calumniaris, *eorumque requiem vases*, si tali animo se
obseruari intelligant; sed amici instar, nihil optantis reprehensione dignum
inuenire, sed obseruantis tamen, & prudenter ac circumspectè inquirentis,
ut præueniat; aut, si lapsum deprehendat, auxilium & remedium aliquod
adferat. Nec, postquam omnem tibi adhibuisse diligentiam videaris, &
nulla criminis offensionisque occurrat suspicio, rem domus in tuto verari
propterea existimes, sunt namque subditi in sceleribus suis occul-
tandis cautiores, quam sint parentes ac Domini in eisdem inquiren-
dis: saepeque fit, ut de quo minima erat suspicio, is reuera idolum in sinu suo
foueat, & amplectatur. Memineris quid ipsi Iacob in simili casu euenerit.
Cum enim Laban socer, idola sibi erepta cõquereretur, magna animi seue-
ritate respondit: *c apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus
nostris*. Tunc Laban magna quidem arrogantia & fastu eadem ubique qua-
rens, non inuenit: quia Rachel fuit illo cautior, *que parentis videns anxietate-
m, festinans ea abscondit subter stramenta cameli & sedit de super*, sumptaque à
re verisimili excusandi occasione, cur surgere, aut loco se mouere non pos-
set: ipsius Laban curam & anxiam sollicitudinem facile elusit, & ita Iacob
exultauit ac gestijt, certò sibi persuadens, nullum suorum domesticorum
furti illius reum esse, aut talia idola colere. Vterque tamen errauit: quia (ut
Christus D. dixit) *filius huius seculi prudentiore filiis lucis sunt*, quibus opera
sua occultant: eosque eludunt, qui omnem se in quaerendo diligentiam ad-
hibuisse credunt. Et quando superiores & patres familias sibi persuadent,
domum suam sanctimonia clarere: aliqua fortè Rachel non deerit, de qua
minima erat suspicio, quæ idola colat, crimenque committat; quod omni,
qua potest, fraude & arte palliare conetur. Hinc Rupertus ait, singulari
Dei reuelatione Iacob cognouisse: domi suæ idola abscondita delitelceret:
Dominus namque, dū illum periculo, quod à ciuitatibus cum Sichima fo-
dere iunctis ipsi imminebat, educere vellet, illi interim apparet & indicat,
familiam illius *idololatriæ* crimine contaminatam esse, quam nisi purgaret, se
illi propitium minimè fore: quemadmodum postea etiam Iosus edixit: po-
pulum se discrimine non prius erepturum, quam *furtum*, cuius vnus reus e-
rat, expurgasset. Iacob itaque diuino motus instinctu, omnes domesticos
collegit, eosque commonuit, ut omnia idola à se procul eliminarent.

Ut porrò Sancti huius Patriarchæ factū imitemur, noua reuelatione no-
bis

bis minimè est opus: sed similia monita similibusq; verbis domesticis in genere proponenda sunt, duobus præsertim temporibus & occasionibus, quibus & suos Iacob est allocutus. PRIMO vbi aliquod periculum ac discrimen vniuersæ familiæ imminet: tunc quippe timendum, ne in occultorum aliquorum eius criminū punitionem calitus eueniat: ac propterea tunc expedit, omnes in locum vnum conuocatos, ad pœnitentiam & confessionem exhortari, dicendo: *i abicite deos alienos, qui in medio vestri sunt*: vereor enim, ne inter vos idola aliqua abscondita delitescant; & sint, qui peccatis inquinatam habeant conscientiam. Quamobrem tam prauam à vobis societatem & commercium reijcite, ac delicta confitemini; quo iram Dei ceruicibus nostris imminentem auertamus.

Imo si gloria diuinæ, tuæque familiæ boni sis cupidus non est quod expectes, donec tale ei discrimen imminere videas, vt ita seridè eam admoneas, sed quemadmodum Iacob hanc admonitionem fecit, quando Dominus ei præcipit, vt in Bethel pergeret, sacrificium oblaturus; quia videbat, illud ei minimè gratum fore, nisi ista præcederet diligentia & inquisitio: Ita meritò in solemnioribus anni festis omnem familiam conuocare decet, eamque ascensionis in Bethel (id est *domum Dei*) admonere, quò diuinis officijs assistant; & solemnitatem, quam Ecclesia tunc repræsentat, celebrent. Quò autem domestici id ea cordis puritate peragant, quam Deus requirit, sincere illis & ex animo dicas, oportet: *Eucite Deos alienos de medio vestri, mundamini & mutate vestimenta vestra*, non modò corporis (quod in festis ferui agere solent) sed in primis *anime*: omni vos vitiorum indumento spoliantes, & virtutum habitum assumentes; vt decenter ac purè omnes coram Deo comparere valeamus.

SANCTA hæc monita, in genere, magno amore, spiritus feruore, opportuneque deprompta, magnam vim habent ad tollenda peccata, vt in hoc exemplo manifestè apparet. Omnes enim domestici Iacob (vt testatur scriptura) mox illi morem gessère; & quotquot habebant *idola*, ea statim ei traderunt, etiam Rachel quæ astu quodam illa patri surripuerat, (si tamen adhuc illa apud se habebat) Iacob marito suo eadem reuelauit. Laban enim suo illa commodo inuestigabat; Iacob verò ob vnicum *anime* bonum; Laban rigidè illam, ac velut extraneam alloquebatur. Iacob verò amicè ac beneuolè. Natura enim, quæ homini, more hominis, insulsè loquenti, & asperè agenti culpas suas occultare gaudet, à diuina gratia illicitur, & iuuatur, ad eandem homini, vices Dei gerenti, blandumque se ac misericordem exhibenti aperiendas. Hinc iam supra diximus, per magni referre, gubernationem cum amore ac *lenitate* dirigere, erga ingenuos præcipuè, qui id aduertentes spontè ac libenter se dedunt, nec suam imbecillitatem negant, quo

In tribulatione conscientia excutienda.
1 Gen. 35 2.

Et festis solemnioribus.

Gubernatio lenis est efficacax.

remedium aliquod adhibeatur. Atque hoc modo vitia, quæ firmas à multis annis radices egerant, iam à corde euelli solent; & manifestata curari: totaq; domus ab omni idololatria spirituali occultè inualefcente, penitus emundari.

VERVM feruens Iacobi diligentia vterius etiam processit; nam quamuis idola ex auro argentoque conflata, illorumque in aures, & monilia admodum pretiosa essent, nullum tamen cupiditatis radicum dedit, nec metallum illud pretiosum in suum vsum conuertit: ne eius aspectu idola ipsa, quæ ex auro illo confecta erant, in memoriam reuocaret: ac propterea omne aurum & argentum, quod accepit, statim terræ infodit, ne in posterum videri posset. Imò notat Abulensis, Iacob non idola modò confregisse, sed igni omne metallum iniecit, vt liquefactum per terræ venas penetraret, atq; ita euanesceret: ne, quod in idolum conflatum fuerat, in hominum vsum cederet, eosq; pollueret. Quid verò hoc aliud sibi vult, quàm superiores ac dominos de familiarum suarum bono sollicitos commonefacere, non debere esse contentos, si peccata qualitercunque è medio auferantur, sed operam etiam dare debere, vt & occasiones & radices illorum penitus euellantur. Ne igitur avaritia illos excæcet, nec ob exiguum lucellum comparandum, domi quid retineant, quod alicuius criminis committendi sit occasio: sed viuat e contra amoris diuini in eis zelus, vt terra obruant, quidquid peccatum suscitare queat, dent operam, vt monilia aurea, quæ idolorum aures exornabant, obedientiamque idololatriarum testabantur, amoris diuini flamma consumantur & pereant, ac maledictam ad eò obedientiam detestentur, terræque profundo obruant: ne in posterum consurgat & compareat, neque alia in anima vigeat obedientia, quàm quæ offertur Deo vero, & Iesu Christo D. N. qui nos è dura captiuitate pretioso sanguine redemit; & ab omnibus peccatis nostris, que prouocet in profundum maris, emundabit. Declarauit hoc Iacob (vt bene Rupertus obseruat) dum idola iuxta noborem terebinthum (ex qua resina distillat) sepeliuit: quæ arbor crucis Christi figura est, è qua pretiosi sanguinis illius resina, ad vulnerum nostrorum medicamentum profluxit: cuius efficacia omnia delicta nostra sepulta euanescent.

§. II. Exhortatio Dominorum subditos adificat.

DENIQUE dominus domesticos suos ita exhortari debet, vt exemplo illis suo præluceat, dicendo sicut Iacob: *surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui me exaudivit in die tribulationis meæ, & socius fuerit itineris mei, & non ait: ascendite, & struite altare; sed: ascendamus & faciamus.* nam in huius religionis actibus, capita præcedant necesse est, & alios secum trahere, vt sint tanquam a lucerna ardentes, quæ toti domui coluceant, & tanquam SAL: vt omnibus, qui in domo versantur, virtu-

tum

In dictum locum.

Occasiones & radices peccatorum tollenda.

Absit cupiditas.

i Mich. 7. 19
Li. 3. in Gen.
cap. 12.

Crucis Christi medicina.

I pra. sequor

a Mat. 5. 17.

tum gustum ac saporem adferant. Solent quippe serui in id accuratius incumbere, ac libentius, quod à Dominis suis fieri vident, & quæ illi laudant, etiam dilaudare, quæ verò rejciunt, pariter rejicere. Ipsi igitur primi templum adeant: quò sacris, & concionibus interfint, & Sacramentorum participes reddantur: ac tunc alios secum trahant: non modò vt filiorum ac seruorum illis comitatus honoris sit, sed vt omnes vnanimi consensu Deum dilaudent, eorundemque bonorum fiant participes. Proponant etiam, quanta illis olim beneficia contulerit Deus, quibus illos eripuerit periculis, quam benè ac placidè hætenus in consortio illius vixerint; quod ab eo bona charismata, fauoresque acceperint: æquum proinde videri, vt gratos se datori exhibeant: vt hoc pacto erga vnus Dei cultum afficiantur, qui tanta sibi obsequentibus bona confert, & ob accepta dona, immensas illi gratiarum actiones persoluant: quo ita paratiores ad maiora nouaque beneficia recipienda inueniantur.

Non est verò quod dæmonum minitantium pericula, & incommoda, dū templum adire, & alia deuotionis exercitia exequi conantur, perimescant. nam vt Iacob iter suum aggrediente, *terror Dei inuasit omnes*, itaque hostes perterriti, nemo vt cœptis obistere, aut aliquam illi inferre iniuriam sit ausus, ita quoque qui sanctis pijsque operibus incumbunt, quibus creatorem suum colant & honorent, confirmantur cælitus ac iuuantur, terrore inimicis, eadem impedire, aut saltem praua aliqua intentione inquinare satagentibus, iniecto. Nam (vt S. Chrysost. hoc examinans, ait) *nihil beatius est eo, qui diuinam gratiam affecutus est*, & Deo placet: cuius prouidentia semper excubat ad eius inimicos propultandos, eumque à periculis eruendum.

Quod si insignem prouidentiam huius effectum scire desideres, audi obsecro, quæ in hunc locum Rupertus annotat. Eodem namque capite, Rachelis è partu vehementi mortuæ obitus describitur, insinuatque id eadem astate, cum in Bethlehem pergeret, accidisse. Elucet hic insignis quædam Dei prouidentia ipsi Iacob inspirantis, vt omnia idola è familiæ manibus excuteret: ne scilicet Rachel, si cum iisdem mori cõtingeret, aliquod salutis discrimen incurreret. Apparet etiã, quam Rachelis felicitas fuerit, quæ tam sanctum & sollicitum maritum nacta sit: qui impietatis hanc caliginem ab oculis tolleretur, si mori cõtingeret, in gratia saltem Dei è viuus decederet. In quo adimpletur illud Apostoli: *b per viũ fidelem, sanctificatã esse mulierẽ infidelem; probum scilicet maritum causam esse salutis vxoris*. Hinc patres familias dilectant, non esse incurios in danda opera, vt domestici exactam peccatorum Confessionem frequenter instituant, vitamque Christiano homine dignam agant: nam fortè inter plures, quibus id consulunt, aliquis erit, qui tali consilio & admonitione opus habeat: vt potè morti fortè propior:

& cuius

*Dominorũ
exhortatio.*

Dei benefici.

*Gratia Dei
inimicos
arceat.*

*Hom. 59. in
Gen.*

*Vbi supra.
Dei prouidentia,
mariti cura saluata
Rachel.*

*1. Cor. 7.
14.*

*Mors omni
hora expectanda.*

& cuius salus in maximo discrimine versatur: pendet verò eius remedium ex consilio & admonitione ita opportunè proposita vt eam exequatur. Discant item ab hoc exemplo illi, qui idola suam intra conscientiam delitescere sinunt, dum tempus opportunum habent, eadem eicere; ne mors inopinatò illos, cum iniquo ad eò hospite, qui aeternæ damnationis sit causa, operimat.

CAPVT VI.

RATIO ET MODVS QVO DOMINI, FAMILIAE
suae vitia corrigere, ac punire debeant, absque nimia se-
ueritate: aliorum ad id opera adhibita.

2. 2. q. 33. a. 3

Superiorum
propria Cor-
rectio.

Eius negli-
gentia cru-
delis.

I.

Reg. 46. ex
suis.

a Luc. 10. 31
Corpus cu-
ras animam
negliges?

1. Reg. ad
fratres ca. 7
refertur
q. 5. ca. 1.



AMETSI correctionis fraternæ præcepta ad omnes in genere ho- mines, teste D. Thoma, pertineant; vt proximum, quò peccan- di consuetudinem deserat, sedulo commoueat: ad prælatos ta- men in primis ea spectant: quorum est non modò delinquentes commouere; sed & acriter (si opus fuerit) rigideque reprehen- dere, in eosque pro delicti grauitate animaduertere. Prælatorum verò no- mine omnis Superior cum Ecclesiasticus, tum sæcularis (qualis is demum fue- rit) Dominus cum subditis, pater cum filijs, ciuitatis præfectus cum ciuibus comprehenditur. Qui omnes si officio huic, vel præ inertia ac negligentia, vel ficto pietatis clementiæque titulo defuerint; in subditos, & vniuersam suam Rempublicam, communitatem vel familiam, quin & in se ipsos cru- deles erunt: vt interim taceam, quàm grauitè Deum offendant, qui fallam hanc pietatem, ac veram potius crudelitatem grauitè puniet.

PRIMUM: si enim insignis crudelitas foret, seruum corpore ægrum, le- stoque defixum deserere, nec debita sanitatis recuperandæ remedia adhi- bere: quò citiùs moreretur; ecqua futura immanitas (inquit Basilus) in ani- ma illum debilem & infirmum non corrigere & iuuare, ne moriatur ma- gna profectò crudelitas & immisericordia a sacerdotis illius ac Lenita fuit, dū in seminecem viatorem à latronibus despoliatum incidentes, eiusdem nec- miferatione tacti sunt, nec vulnera alligauerunt, nec medicamen aliquod ap- plicuere. Econtrà præclara atque insignis Samaritani misericordia, qui vul- nera alligauit, medicamentum, non modò olei, quod lenit; sed & vini, quod pungit, adhibuit, erit igitur (ait S. Augustinus) insignis & detestanda crude- litas, sinere vt proximus tuus & subditus moriatur in anima, eò quòd cor- rigere ac corripere negligas; summæ verò pietatis actus, medicinam adhi-

bere.

bere; etiam si correctum purgat, ac dolorem incutiat. Et si Deus olim (vt scribit S. Chryſoſtomus) in veteri lege præcepit, vt qui in b *sui inimici bonè aut aſinum errantem incidisset, ad eum reduceret*: cum hoc humanitatis eſſet ſignum; contrarium verò, odium, animique auerſionem indicaret, *quomodo, inquit, non ſumma inhumanitas eſt, & ferina crudelitas, non tantum nos cura impendere hominibus, quantum alii iumentis*: Si tuum iumentum amittas; egredieris ad quærendum: ſi verò ſerui tui anima in discrimine pereundi verſetur, non eidem ſuccurrere eniteris: Inſignis haud dubiè boni illius paſtoris; *boves centum habentis, pietas fuit, qui nonaginta nonè in ouili relictis, foras egreſſus unicam, quam per dederat, ouiculam; magna ſolicitudo quæſiuit, & inuentam, magna que animi lætitia, in humeros impoſitam, ad caulam reduxit.*

Si famulus tuus, peccato iam commiſſo, ſe perditum eat: noli illum in tartarei lupi faucibus deſerere, à quo deuoretur, ſed ſtude, allabora, enitere, vt ad caulam properè redeat, vt æternam damnationem euadat. Imò ſi id negligas, maiorem in te ipſum crudelitatem oſtendes. Nam, ſi peccatum, quod tibi incumbit corrigere, diſſimules: eiſdem te participem conſtituis: quin (teſte S. Auguſtino) etiam *grauioris*. Peccatum quippe alterius forſan in temperantiam vel caſtitem commiſſum eſt, tuum verò ſemper *charitati* aduerſatur, sæpè etiam *iſtitia*, & officij tui præſcripto. Poterit ille vel in *ignorantiam*, vel in cæcum affectum crimen reiſcere, tuum verò purgari non poterit, cum in tuo conſpectu morientem ipſum videas, nec tantum eius damnum impediſ. In diuinam proinde iram incidet, ita per Prophetam comminantis: *d vae paſtoribus Iſrael &c: quod infirmum fuit, non conſolidatiſti; & quod egrotum, non ſanaſtiſti, quod contractum eſt, non alligaſtiſti; & quod abiectum eſt, non reduxiſtiſti; & quod perierat nõ quaſiſtiſti: ſed cum aſperitate imperabatiſti eis, & cum potentia; & diſperſe ſunt oues mee, eo quod non eſſet paſtor. Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu eorum.*

Huc addere licet: quòd hæc negligentia vniuerſæ Reipublicæ & familia crudelis ſit valde que noxia: cuius bonum atque incolumitas in periculo propterea verſari ſolet, quòd ſedula deſit correctio. Quis neget, Sacerdotè Heli crudelẽ fuiſſe, cum filios corrigere neglexit; cuius correctionis defectu e *uerque eius filius, & ipſemet, ac triginta civium millia ceciderunt, miſerrimeque perierunt, & arca Teſtamenti propterea à profanis Philiſtæis capta fuerit*: vnde manifeſtum ſit, ſuperiorum in corrigendo negligentiam, in cauſa eſſe: cur & ipſe, qui non corrigit, & qui correctus non eſt; & ſimul ipſa, in qua viuunt, *communitas* pereant, & ipſius DEI gloria illorum cauſa plurimum imminuatur. Illud verò maximum omnium hic incutit timorem, quòd Heli filiorum delicta coarguerit quidem: ſed aded languidè ac negligenter: nullum vt inde emolumentum prouenerit: ac propterea dixerit

2.

Hom. de ſe-
ren. repre-
henſione 10.
2. ad ſinem.
b Exo. 23. 4.
Deut. 22. 1.

3.

Imo bouem
& ouem.
c Luc. 15. 4.
c c

4.

Non corri-
gens grauius
peccat.
Serm. 16. de
verb. Dom.
tom. 10.
D. Thom. 2.
2. q. 33. art. 2.

d Ezech. 34.

Remiſſio to-
ti Reipubl.
noxia.
e 1. Reg. 4.
11.

1. Reg. 2. 29

Monitio in
efficax non
sufficit.Hom. 1. de
verb. Isaia.
g Iosua. 7. 11

DEVS: *f magis honorasti filios tuos, quam me*: magis scilicet sollicitus eras, ne tuorum honor aliquod hac correptione detrimentum incurreret: quam vt peccatum tolleretur. Vt hinc discas te non explere muneris tui partes *mollis* adhibita correptione; quando illa non prodest: sed actiorem rigidiorēq; esse adhibendam, & *virgam* exerendam: ne tibi culpa imputetur; ac proinde de te familiaq; tua vindictam Deus exigit. Recordare, inquit S. Chrystomus, olim, solo Achan peccante, dixisse Deum, *g peccauit Israel, & prauaricatus est pactum meum*; & vnus ob noxam in plurimos flagellum exeruisse: eò quòd periculum esset commune: quia peccatum, pestis instar est: quæ omnes inficit in communitate, nisi correctio obstat.

h Mat. 18. 15

Dei & pro-
ximi inu-
riam tuam
cepit.

1 Gen. 4. 9.

Serm. 5. de

Ioan. Bapt.

Chryso. hom.

vlt. in. 1. Co-

k Eccl. 17.

12.

Hom. 7. in

Iosue.

DENIQUE si Deum plus, quàm te ipsum; & proximum, sicut te ipsum, ames; vterque hic amor stimulat ad eundem corrigendum. Hinc etiã Christus Dominus, dum fraternæ correctionis præceptum promulgaret, hisce verbis vsus legitur: *h si peccauit in te frater tuus, corripe illum*, nõ dixit *in te* quasi ad sola peccata *in te* commissa, iniuriasq; proprias duntaxat correctio, se extenderet; cum multò magis ad peccata in Deum, & proximos commissa spectet. Sed motiuum zelumq; correctionis ostendit; calcarq; tibi addere voluit, vt peccatum proximi, velut rem ad te spectantem, sumeres. Si enim Deum verè amares; & vnum cum ipso per amorem existeris: peccatum in Deum admissum, *in te* etiam admissum censebis: & quasi in te solum admissum corrigere & corripere debes, & similiter si proximum sicut te ipsum dilexeris, illius damnum ac detrimentum, *tuum* item existimare debes; & quæ admodum proprium tuum auertere omni ope conaris: ita & illius amoliri debes studere, ne dixeris cum Caino: *innum custos fratris mei sum ego?* hoc nõq; vt obseruat S. Bernardus, non à fratris ore procedit; sed inuidi & crudelis inimici, cum: *k vnique* (vt docet Eccles.) *mandauerit Deum de proximo suo*: ac fraternum sit, non sinere fratrem perire. Ne existimes, inquit Origenes, te culpæ expertem, si dixeris: *Quid ad me, si peccet alter?* perinde enim est, ac si *caput* pedi diceret, quid mea refert, si tu vulnereris, modò ego integrum & *in* spes existam? sed insignis hic est error, cum membri vnus scabies & læsio vniverso corpori grauis sit & noxia, ni per correctionem punitionemque citius tollatur.

§. I. *Præscribitur correctionis methodus, ne ultra limites feratur.*

I.

a Epb. 6. 9.

AT quoniam Domini saculares ira perciti, grauius etiam in *castigando*, puniendoque delinquere solent: pauca hæc illis in familiæ gubernatione, obseruanda sunt. Inprimis consiliu illud Apostoli exactè seruare contendant: *a remittentes, minas*: non, vt easdem penitus dimittant; sed vt nimium rigorem & excessum moderentur: sicut

etiam

etiam Ecclesiasticus suadet, dicens: *b noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Id est: noli tyranni instar, imperium ac dominium exercere; animo crudelitatem spirante: domum furibundis clamoribus, mandatis intolerabilibus, horrendis iniuriis, & castigationibus inuitatis replendo: nam hoc non familiam conseruat, sed euertit, tibi que ipsi non parum damni adfert: cum quæ tua sunt destruas. Caue, ne te *leonem* exhibeas, sed *hominem*: ac memineris *cin spiritu lenitatis* te regere ac corrigere debere, cum in eadem delicta incidere & ipse possis. Aequum quidem ac iustum est, minas & verbera intentare, seruorum id exigente duritia ac pernicacia: at tum eo procedas oportet modo, quo Apostolus ad Corinth. est vsus: *d quid (inquit) vultis: in virga veniam ad vos; an in charitate & spiritu mansuetudinis: virga castigationis (ait Sanctus Thomas) & charitas ac mansuetudo erga subditum, sibi inuicem non aduersantur, sed potius interius sunt tanquam coniunctæ valdè sorores. Et Sapiens ait: qui parcat virga, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Et si Apostolus in virga correptionis eisdem visitans seueritatem exterius ostenderet: internum charitatis & benignitatis spiritum non exueret. At externus hic seuerior vultus à subditi dispositione potius, quam superioris voluntate nasci debet. Atque idcirco. Apostolus ait: quid vultis? quasi dixerit: vobiscum dispicite, vtrum horum cupiatis: nam à vestra id voluntate pendet, si vos ipsos emendaueritis, & culpam sustuleritis: non erit necesse cum virga me ad vos descendere, sed cum spiritu mansuetudinis: at, si rebelles exiteritis, & in peccato obdurati: virgam me adhibere oportebit. Atque ita, cum spiritus lenitatis non fuerit ad famulum puniendum sufficiens, iungenda est caritati virga seueritatis, ad occurrendum peccato, daninumque reparandum. Vt enim obseruat Sapiens: *f seruus verbis non potest erudiri ad emendationem: quia, quod dicit, intelligit: & respondere contemnit.* Hoc est, quamuis quid imperes, probè intelligat: non idèò tamen eadem exequitur, nisi pœnarum eum metus coërceat. Atque idcirco eleganter Sanctus Bernardus Eugenio Pontifici scribit, *ament te domesticus tui, si non, facito vitimeant.* Egregia sane illa est regula, quam circa hoc Ecclesiasticus præscribit, dicens: *g cibaria, & virga, & onus asino, panis, & disciplina, & opus seruo,* quasi dixerit: eodem modo cum seruo agendum, atque cum equo vel asino agitur, cibus quidem illi ad vires corporis conseruandas suppeditandus, sed & opus præscribendum, ne otio diluat, & inertie se dedat: sed laborando, Domino sit utilis, disciplina denique & correctio adhibenda: *seruo, inquit, maleuolo tortura & compedes.* hoc est: si pernicax contumaxue, herò imperanti parere detrectarit: ad tormenta ac pœnas procedendum, claustris & carceribus coërcendus: quo rebellis eius durities dignis puniatur supplicijs.*

b Eccl. 4. 35.
Lenitas in
correptione.

c Gal. 6. 1.

d 1. Cor. 4. 21.

In eum locum.

e Pro. 13. 24.

Seueritas
non voluntaria sit, sed
coacta.

f Pro. 29. 19.

Lib. 4. de
consid. prope
finem.

g Eccl. 33. 25.

Timeat, qui
nescit amare.

h. Verf. 30.

Sine culpa
tua corrige
alienam.Cauenda
subditorum
exacerbatio.
i. Verf. 31. &
6. 7. u. 23.Domini fi-
delium eli-
gant dispen-
sationem.
o Exod. 8.
18.

Mox autem hunc rigorem moderatus, subiungit: *h non amplifikes super omnē carnem. Verum sine iudicio nihil facias graue.* Quasi diceret; noli in castigando crudelitatem nimiam præferre, vel excedere in puniendo; sed memineris, seruum tuum ac mancipium eiusdem tecum *carnis* esse: ac propterea cum prudentia humanitateque tractandum: nihil graue in ipsum temerè & inconsideratè statuendo: ne scilicet punitionem turbatus aut iratus, & vindicta appetens animus suggerat; nec iustitiæ & charitatis Christianæ terminos illa excedat: ne dum *alienam* culpam castigas, ipse incidas in *propriam*. Nam aut defectum castigas corporalem, eò quòd in *te* sit admissus; aut culpam in ipsum *DEVM*. Si primum: non minima foret temeritas, impudentiaque, propria culpa alienam, & quidem minorem, alia maiori velle tollere: si enim maledicta, iram, impatientiam, verbaque contumeliosa inter corripendum admiscueris, aliud non effeceris, quam nouarum in te grauiorumque culparum onus in *DEI* tui seruitio suscipere: quo minores multò corrigas, quas in tuo seruus commisit. Si verò dixeris, crimen in *DEVM* commissum corrigere te velle; non zelus, sed iracundia; non *DEO* gratum, sed offensa noua erit; hoc modo admissum crimen corrigere velle. Nec sanè sapientia fuerit, ita te in corripiendo ac castigando gerere, vt in eo quodammodo, ipse corripitur & castigari dignus habeatur, ac tantum abest, vt vulnere medicamen ac remedium adhibeas, vt prauo tuo exemplo ipsum deterius reddas; in causa siquidem es, vt seruus tua iracundia in noua incidat delicta, qui tuus excessus, si adeò perniciosus censetur, cum in crimina culpasque vetè admissas animaduertis; quanto censetur magis noxius, si non à veris serui culpis, aut defectibus; sed à praua, aspera, intolerabili, nimiumque præfracta natura tua nascatur: ita namque seruos tuos paulatim peruertis, & è bonis prauos; è fidelibus infidos, & fugitiuos reddis. Hinc subnequit Ecclesiasticus: *is est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta; quoniam in sanguine anima comparasti illum, si leseris eum iniuste, in fugam conuertetur*, atque ita bono, quod ab ipso tibi proueniebat, illius fuga excides. Pravam itaque & duram naturam tuam doma, ne bonos ac fideles seruos amittas, sed potius prudentia tua effice, vt qui mali & perfidi sunt, in melius deinde commutentur.

ALIVD etiam huc in primis spectans documentum, Dominis amplam habentibus familiam, seruandum proponitur: vt scilicet ex vniuerso seruorum numero vnum pluresue seligant, quorum prudentiã probitatemque iam perspectã habeant: vt in eis, quæ iã diximus; auxilio ipsis sint, cæterorum curam gerant; vitia illorum impediendo, & bonos mores inducendo: illisque iniungendo (vt dicebat Moyse Ietro): vt, o *quicquid manus fuerit*, præsertim quæ ad cultum diuinum spectant, *ad ipsos referant*, quòd melius efficaciusque; remediũ

adhi-

adhibeatur. Illud ipsum consilium S. Bernardus Eugenio Papa Præscripti-
 selige (inquit) ad familiam gubernandam vnum, qui, vt Dominus ait, pfer-
 nus fidelis sit ac prudens, fidelis quidem, ne ipse decipiat; prudens verò, ne de-
 cipiatur. Porro nec hoc suffecerit, si defuerit tertium, ipsa inquam aucto-
 ritas, parum quippe profuerit velle & scire rem disponere, prout necesse
 est, nisi adsit auctoritas, & manus ipsa ad exequendum. Danda ergò illi ad-
 hæc facultas agendi pro libitu. Si verò dixeris rationi consentaneum non
 esse, tam amplam illi potestatem concedi: memento fidelem, qui agere ni-
 hilominus pro ratione volet: attende prudentem, qui agere nihilominus
 pro ratione sciet: sed fidelis hinc solersque voluntas tunc profuerit: cum ei
 assatim suppetet, vnde tota facilitate mancipetur effectui: cunctis ei sine
 cunctatione parentibus. Itaque iste omnibus facienda iniungat: & vni o-
 mnes respondeant. Nam si gentilis ille Ægyptius, qui omnibus suis Iose-
 pho traditis ignorabat, quidnam domi suæ haberet, ob singularem, quam
 de fide illius conceperat opinionem; erubescat Dominus Christianus, ser-
 uo Christiano sua non credens, perspecta iã ante illius & fide & prudentia?
 Addit verò idem Sanctus: quamuis in rebus temporalibus ampla hæc ei fa-
 cultas danda sit, domini tamen partes esse, non propterea bonum spirituale
 negligere: multa, inquit, nescias, plurima dissimules; nonnulla obliuiscaris,
 sunt tamen quæ ignorare te nolim; mores inquam & studia tuorum, non
 oportet vitia domus tuæ vltimus scias: quapropter aliis alia dispenset, de
 disciplina tu provide: illud nemini credas; tuum est, ea quæ ad animã spectat,
 non negligere. Quamobrem, etsi ad dominos non spectet per se ipsos puni-
 re; sed castigationis executionem alteri committere; illorum tamen est re-
 prehendere, & commonere: eò quòd maioris illorum verba sint efficaciam,
 propterea necesse fuerit illos, seruorum tanquam ouium suarum defectus
 nosse; vigilis accuratique pastoris officio fungi. (Vnde Sapiens ait) q dili-
 genter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera. quod si feceris, gloria
 sempiternæ coronam adipisceris, propter officium impensum ijs, qui tuæ
 erant curæ concrediti; cum hoc non alijs delegaris, sed ipse tibi assumpseris.
 Ita fecit Booz noster, qui quamuis constituisset aliquem r tuuenem qui
 suo nomine messoribus ac seruis præfesset: illos tamen ipse adire, & suis coram
 oculis, quid rerum agerent, videre voluit. Nam quemadmodum Episcopi
 Ecclesiæ quæ prælati diæceses suas obire ex muneris præscripto tenentur, &
 pecoris sui vultum agnoscere; vt videant scilicet, quomodo curiones, paro-
 chi, ac clerici officio suo fungantur; & cæteros fidelium confirmet ac di-
 rigant; omniumque saluti prospiciant: ita quoque, domini saculares suo
 modo visitationem instituant, & singulorum seruorum, cum maiorum tum
 minorum actiones & opera perspiciant, ad bonos in officio confirmandos,

Li. 4. de con-
 prope fin.
 p adar. 27.
 45.

» »
 » »
 Huic aucto-
 ritas concu-
 lietur.
 c c
 c c
 c c

Spiritualia
 per se cu-
 rent.

Tu commo-
 ne, punias
 alius.
 q Pro. 27. 23.
 Eccl. 7. 24.

r Ruth. 2.

Episcopi te-
 nentur vi-
 sicare.

prauos verò reprehendendos & corrigendos. Maiores porro vitent, vt videant, num *fideles* sint & *prudentes*; quomodo data *facultate* vtantur & num suo munere propè fungantur, nullam minoribus iniuriam, aut molestiam exhibendo: minores verò, vt coram cernant, quomodo maioribus *obediant*; & num singuli ea, quæ ex officio incumbunt, debite riteque *exquantur*. Hoc scil. modo ad literam intelligendum est, quod amicus Iob ait *si visitans speciem tuam, non peccabis*; speciem inquam domus tuæ: tuam namque visitatione pacem & iustitiam conseruabis; & omnes domestici, tam vxor, quàm liberi & serui, officio suo fungentur, tuamque ad præsentiam ordinatè cuncta fient.

1 Tob. 5. 24.

CAPVT VII.

SINCERITATEM AC PRUDENTIAM IN ALIORUM gubernatione, & commercio simul coniungendas: ne temerè quis iudicet, aut etiam se decipi sinat.



Sinceritas
prudens

a Mat. 10. 10

Preciosū à
vili sep-
randum.
b Ose. 7. 11.

Columba.

Serpens.

INTER cætera, quæ in familia alicuius directione, & mutuo cum alijs commercio difficilia occurrunt, non potest occupare locum crediderim *sinceritatem* cum *prudencia* nosse coniungere; nimia enim sinceritas & candor decipi solet cum magno prudentiæ præiudicio; & nimia prudentia cautelaque suspecta esse, cum sinceritatis detrimento. Idcirco dominus qui nihil mandauit, quod fieri nõ posset, in Evangelio discipulis ait: *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut colubæ*; quasi diceret, segregate à serpente & columba pretiosum à vili, & bonum à malo vile & malum reijcite; pretiosum verò & bonum amplectimini, E columba *sinceritatem* accipite & *mansuetudinē*, relicta *ignorantia* & *vecordia*; ne de vobis dicatur, quod olim de Ephraim Oseas: *h sicut columba seducta, non habens cor*; E serpentibus verò accipite *prudentiā*, & *cautelam*: *malitia*, *infricta ac dolo* relictis: aded, vt erga res & personas ad vos nõ spectantes, oculos habeatis *colubinos*, non curiosos vel suspiciosos, sed simplices & candidos: ne scilicet curiosè, temerè, & malitiôsè aliorū vitā inspiciatis & scrutemini: sed quæ in eis videris & auditis sincerè ac leniter, & sine aliqua vestra perturbatione & anxietate pertranseatis: cū ad vos nihil horū pertineat: modò tamen in rebus tum proprijs, tum aliorū, quæ vobis incūbant, ne stupidi ac negligentes fitis, vt eas inspicere & exactè cognoscere non curantes, vos ipsos certissimo deceptionis periculo exponatis: sed in his, astutos potiùs & sagaces imitamini *serpentes*, quos aiūt, oculos suos linire ac purificare, vt magis perspica-

ces

ces ad videndum reddantur: *caput* verò insigni astu semper subducere, & occultare. Eodem igitur modo visum vos exacuere oportet; magnaque diligentia conquirere quidquid tū ad vestra, tum ad aliorum conscientia puritatem conseruandam conducere iudicaueritis: ne vestra forsan negligentia discrimen aliquod adeant, nisi maturè periculum imminens auertatis. absit tamen omnis malitia, & quæuis obliqua intentio. Hoc igitur est admirabile illud consilium, quod Christus omnibus & superioribus, & subditis, & inter se æqualibus dedit: vt *extrema*, quæ in vitium propendent, fugientes, *medium* sectentur. Ita tamen, vt in superioribus excellat cauta *prudencia* in cæteris verò *sinceritas* & candor: vti postea declarabimus.

§. I. *Temeraria iudicia, & aduersus eadem remedia.*

ATEMERARTIS iudicijs sanctam *sinceritatem* euertentibus ducamus exordium: sunt hæc iudicia nostri sententiæ quædam definitiua, quæ quod nobis duntaxat ita videatur, sine certo vlllo fundamento, aliena dicta, factaue condemnant. Quæ sententia, dum aliquo modo dubia est, & non nisi leuibus coniecturis nititur, dicitur *suspicio*. Ita iudicabat Sacerdos a *Heliannam* Samuelis matrem vinolentam & ebriam esse, quod multis cum exoticis gestibus, ab Spiritus feruore prouenientibus, orantem videret. Melitenses quoque b *Paulum* Apostolum *homicidam* esse dicebant, quod eius, tempestate iam erepti, digitum viperam præmorderet: quasi *vltra diuina non sineret eum viuere*. Sed temerarijs hisce iudicijs magna Deo irrogatur iniuria, quia temerè sibi talis arrogat, quod ad solum Dei tribunal spectat, nam quemadmodum in magnam turbationem, ac Reip. damnium cederet, si quisque sibi iudicandi partes assumeret; controuersiasque inter ciues ortas suo calculo dirimere contenderet; aut si *secularis* Iudex in *Ecclesiasticas* causas, quæ sui fori non sunt sese immisceret, easque expediret: ita absurdum est ac temerarium te vilissimum vermiculum, Dei ac I E S V Christi vniuersalis viuorum & mortuorum Iudicis, ad quem solum de verbis & operibus intimisque cogitationibus (vtpote qui solus illas perspectas habet) iudicare spectat, officium tibi non commissum, liberè vsurpare. c *Tu quis es*, inquit Apostolus, *qui iudicas alienum seruum?* d *Vnus est*, inquit S. Iacobus, *legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* nō attēdis, te hoc tuo iudicio re ipsa ostēdere, Iudicē nō esse vnū: cum & ipse tibi hoc munus arroses: Quæ nā tua, inquit Iob, audacia, vt e *faciem* & quasi laruā Dei accipias, & pro eo iudicare nitaris, vsurpādo tibi temerè quod Deitati illius est propriū? f *noli ante tēpus iudicare*, cū certū Deus iudicio diē præscripserit. Terribile in hanc rē exēplum refert S. Dorotheus de monacho, qui cum audisset quendam in fornicationis peccatum incidisse sine vltiori examine illum condemnauit. Cumque paulò post fornicat-

*Extrema
vitanda.*

*Prudens su-
perior, sim-
plex sit sub-
ditus.*

Suspicio.

a 1. Reg. 1. 14

b Act. 25. 4.

*Dei est iudi-
care, cum tu
tibi id su-
mis?*

c Rom. 4. 1.

d Iac. 4. 12.

e Iob. 53. 8.

f 1. Co. 4. 5.

Angelus
arguit iudi-
cantem.
apud Clem.
c. 2.

2.
g 1. Co. 2. 11.

h Iere. 17. 9.
Occulta &
futura vi-
de scis?

Coniectura
non sufficit.
Epist. 2.
decret. l. 19.
mor. c. 14.
i Gen. 18. 21.

k Ioa. 7. 24.

3.
I Tob. 4. 16.
Velles ne iu-
dicari?

4.
m Luc. 6. 37
Mat. 7. 3.
Serm. 6.
Iudicans a-
lium sape
grauius
peccat.

tor ille defunctus esset, apparuit monacho Angelus quidam, defuncti ani-
mam secum adducens, vt illā iudicaret, sententiamque vltimā in eā ferret
cū iam ante illam diiudicare cepisset. Quo audito, perterritus monachus
grauem suum errorem animaduertit. & in posterum cum quodam alio di-
xerit proculdubio: *non iudicare veni, sed iudicari.*

AD HÆC: quæ maior temeritas esse potest, quàm occulta, quæ nec scis,
nescire potes, diiudicare, g *Quis* (ait Apostolus) *hominum seu que sunt homi-
nis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Imò & ipsummet multa eorum præte-
reant, solusque h *Spiritus* diuinus illa nouit, qui cordis penetralia scrutatur.
Quomodo verò iudicare poteris illum, qui hodie improbus est, cras talem
etiam futurum, vel non conuertendum: cum solus Deus norit, quæ euentu-
ra sint? Si dixeris: ex indicijs externis perspicui posse, quæ intra mentem deli-
tescunt, quæque postea euentura sunt: hoc ipsum, *temeritatem* tuam arguere,
& prudentiæ defectū indicare, tibi respondeo. Imò, quāuis legitimus pro-
ximi tui iudex esses cōstitutus: eundem tamen nisi sufficienti rei probatione
precedente dānare nō deberes: quare si nudis leuibusque indicijs nixus illū
condēnes: insignē illi iniuriā irrogas. Nā & ipse Deus (vt Euaristus, & Greg.
Pontifices obleruarūt) quod nostrā temeritatē iudicandique pronitatē refre-
naret, Sodomitarū peccata diiudicare noluit, nisi verbis illis præmissis: *de-
scendā & videbo, virū clamore, qui venit ad me, opere cōpleuerint; an nō est ita, vt
scia:* quo loquēdi modo ostēdere voluit, se nō ex solo relatu, aut leuibus cō-
iecturis diiudicare; sed re planē comprobata, & benē perspecta, k *nolite in-
quit Dominus iudicare secundum faciem, sed iustum* veritatisque conforme
iudicium iudicate.

IDEM suadet lex illa naturalis, quæ præcipit: *I quod ab alio oderis tibi fieri ne
tu alteri facias.* Nollēs porrò à quoquā temerè iudicari de rebus tuis: cur igitur
de alienis ipse tam leuiter diiudicas? nollēs ab alio interiūs contemni:
cur ergò tu aliū contēnis? Si nollēs falsū testimonium ab alio de te dici: cur
tu iniuste & immeritò aliū calūniaris? temerariū. n. iudicium aliud non est,
quàm quidam proximi contemptus, & falsum de illo testimoniū, quod in
corde aduersus illum profers, dum sinistram de illo concipis opinionem.

DENIQUE: si proximi peccatum tam graue tibi videatur, considera, qua-
so, tuum quod temerè hic iudicando committis; sape etiā grauius fore. Audi
quid in hāc rē olim edixerit Dominus, m *nolite iudicare, & non iudicabimini,
nolite condemnare, & nō condēnabimini. Quid autem vides festucam in oculo fra-
tris tui: trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?* Fatue, inquit, san-
ctus Dorotheus, dispicet tecum ipse temerarium iudicium; de proximo tuo,
eiusque contemptum, magnæ trabis instar esse, oculos tuos opprimen-
tis; peccatum verò illius, quem tu condemnas, non nisi *festucam.* Tibi

ergò

ergo certo perluadeas grauius tibi imminere iudicium; ac maiorem impendere condemnationem. O PHARISÆVS, qui vnà cum Publicano orandi causa in templum ascenderat, condemnatus egressus est; non quòd ob Deo accepta beneficia gratias ageret, sed quòd temerè iudicasset, & còdènasset publicanū vt nefariū ac scelestum reputans eum, qui sua pœnitentia se iustificauerat. Atq; vt præcòps hoc Pharisæi iudicium publicano nihil nocuit, sed ipsimet à quo profectū erat: ita quoque (inquit Augustin.) sæpè iudiciū: temerarium minimè nocet ei, qui iudicatur: iudicanti tamen semper temeritas nocet. Ac præter hanc culpam duo grauiā tibi afferet mala; primum, quòd iusto Dei iudicio in eadem peccata ipse incidas, de quibus iudicas: quemadmodum bonus ille senex, qui de seipso (referente Cassiano) dicebat: in tribus iudicauī & reprehendi fratres meos: & in eadem tria ipse deinde sum collapsus, memineris etiā terribilis illius sententiæ Christi: *in quo iudicio iudicaueris, iudicabimur; & Apostoli: q̄ propter quod inexcusabilis es homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, te ipsam condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.*

HINC secundum oritur incommodum, permitturum scilicet Deum vt alij quoq; te sint temerè iudicaturi, vt ipse alios iudicas. Idcirco non immeritò Propheta dixit: *vt qui prædaris: non etiam prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* æquissimum namque est, vt *seadem mensura remeiaris, qua proximo mensus es.*

QVIS denique miseram & infortunatam vitam mortemq; amarā referat, quā huiusmodi iudicia suspicionesq; adferent, si praua eisdem consuetudine assueueris? illa siquidē (vt B. Dorotheus benè notauit) à còmercio familiaritatēq; Dei te auocāt, neq; enim is lumen suū oculis immittit, huiusmodi trabibus impeditis. Impediunt etiam, ne proprios possis defectus agnoscere, dum nimis in alienis dispiciendis occuparis. animam quoqueurbationibus, angustijs, curis, molestijsque replent; quin & orād murmurata, querelas, detractionesque soluunt. Suspiciones, (inquit S. Augustinus) venenum amicitiae sunt & pestis: quòd vnionem turbent, pacē auferāt, confidentiā tollant, ac fidelitatē, quā inter amicos esse oportet, discindant. Quā enim inter cōiugatos futura còcordia, si nunquā absint suspiciones? inter superiores & subditos, si alter alterū semper habet suspectum? inter fratres & religiosos, si de cogitationibus & intentionibus mutuis temerè diiudicant? O execrandā in iudicādo temeritatē, tot malorū causam & radicē! Sed quid mirū, tā prauos ipsam fructus edere, cū, teste S. Thoma, tam prauas habeat radices? temerè se. iudicātis malitiā, & illius affectū, odio, rācore, inuidia, vel præsumptione deprauatū? hinc dixit Salomō: *1 cor sapientis in dextra eius; & cor stulti in sinistra illius: sed & in via stultus ambulās, cū ipse insi-*

o Luc. 18.

5.

Primum iudicium iudicanti noxiū.

Lib. 2. de ser. Dō. in monte c. 6.

6.

Teipsum iudicas.

Li. 5. c. 30.

p. Mat. 23.

q. Rom. 2. 1.

7.

Alij te iudicabunt.

1. Sa. 31. 2.

Luc. 6. 38.

8.

Serm. 9.

Suspicio-

num dān-

na.

Lib. de amicitia c. 24.

9.

2. 2. q. 60.

1. 5.

1. Eccl. 10. 2.

Radix prau-

iudicij.

Li. de utili-
tate ab ini-
micis ca-
pienda.
u Job. 15. 21.
Li. 12. 6. 21.
Et lib. 14. 2.
D. Au. ser.
12. in ps. 112.
Serm. 6.

21. Cor. 13. 5.
y 1. Pet. 4. 8.

Omnia be-
nigne inter-
pretare.

2 Rom. 14. 3.

Serm. 40.
in Cant.
Charitas
ingeniosa.

Serm. 6.
Hodie tibi
erascimur

Hom. in id
nolite iudi-
care, tom. 8.
Expedi er-
rare in bo-
num.

D. Tho. 2. 2.
q. 60. ar. 4.
ad 1.

piēs sit, oēs stultos aestimat. NEMO est qui nesciat, oēs homines naturaliter cor eodē in latere habere: sed improbus, & inimicus, inuidus atque arrogans in sinistro illud habere dicitur; eō quōd sinistrē de alijs sentiat: atque ut Plutarchus ait, odio excācatur: vt ea, quæ videt, in malam deterioremq; partem interpretetur; & vbi ipse impedit; & alios impingere putet: & (vt in libro Job dicitur) u *cum pax sit insidias suspicatur.* Nā (vt declarat Greg.) quid ille de proximis suis cogitat: hoc illos de se vicissim suspicatur cogitare. Cor itaque à sinistro latere in quo illud habes, in dextrum transmuta, in quo iusti, misericordes, humiles, ac simplices illud habent: vt ita iudices, alios eodem in loco illud habere. Attēde, inquit S. Dorotheus, quōd eundē, *cibum* sanus homo in bonum, & ger in prauum ac vitiosum humorem conuertat: quin & qui bonæ est corporis cōstitutionis, etiā ineptum & vitiosū cibum solet in bonū sanguinem conuertere: & tu si Sāctus fueris, quod alij temerē cōdemnant; tu cum caritate excusabis: quæ (vt Apostolus ait) *non cogitat malum, y & operit multitudinē peccatorum;* & quidquid proximus egerit, rectē interpretatur: sicut Sāctus ille Monachus, qui cū aliorū cellam *minimā* ordinatam cernebat, nimio id erga spiritalia studio & ardori adscribebat: qui adeo exactē corporalibus vacare non sineret: cū verō aliorū *benē* compositam mundatamque videbat: quemadmodum sedulam animē ita & exteriorum rerum curam illos habere aiebat. Huc spectat quod Apostolus ait: *2 is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicat.* cām enim opera *arbitraria* sunt, quæ tum bene, tum malē agi queunt: quisque debet existimare proximum in eo, quod agit, non errare; sed benē agere. Quod si opus *externum* excusare nequeas (ait Bernardus) *intentionem* saltem excusa: tibi que persuadeas, id ignoranter, aut inaduertenter & fortuito esse factum. Si verō nec huc descendere licuerit; eō quōd culpa sit nimis euidentis ac manifesta, dic intra te ipsum: *vehemēs aliqua tentatio* virum hunc inuasit, ac postrauit: quid ego fecissem, si eadem me fuisset aggressa. Adiungit S. Dorotheus, alium Monachum religione insignem dixisse in re simili; *Is hodie peccauit, ego forsan eras;* is ad se reuertetur, resipiscet, & ager que de commisso pœnitentiam, ego forsan non agam: nam ad omne opus bonum piger & lentus sum. Et quamuis in hac excusatione interdum decipi te contingat: non propterea omittere est. nam, S. Augustino teste, tolerabilius & melius fuerit cogitare, malos esse bonos; quam praua iudicandi consuetudine suspicari, bonos esse malos. nam in hoc posteriori iudicio bonos offendis in priori nec malis, nec tibi ipsi nocēs: resta siquidem intentione procedis, & iuxta Christianæ prudentiæ regulas, quæ in dubio proximo fauet, boni sui nominis possessionem habenti.

S. II. De cautela adhibenda, ne quis decipiatur.

QVIBVS aliorum cura non incumbit, facile columbinam simplicitate ijs, quæ suggestimus, medijs conseruare queunt: securè enira ac tuto oculos ab alienis defectibus auertere possunt, cum ad illos non pertineat remedium adhibere, suspitioni suæ dicendo: *quid ad te*, quod hoc fiat, aut illud: noli quod tibi minimè incumbit, inquirere. At superiores ac Domini, oculos apertos habeant oportet. ad subditorum delicta inspicienda, ijsq; remediū adhibendū; aut in tēpore periculo occurrēdū. Idēdō necesse est eos ita simplices esse, sicut columbas; vt simul sint *prudētes*, sicut serpentes. Hinc cū cōiecturis nōnullis moti crimē aliquod suspicantur: licet eis (vt docet S. Tom.) inquirere & sciscitari quantum sufficiat ad plenā rei notitiā assequendā, crimē deprehēsum corrigendū: seruata tamē caritatis iustitiæq; regula, iuxta illud Eccl. 5. *Primumquam interrogas, ne vituperes quēquā: Et cūm interrogaueris, corripuisse*; ita scilicet, vt neque iustitiæ limites in inquirendo aut corrigendo egrediaris; neque etiam negligentia & indiscretionē in ijs, quæ officij tui sunt, complendis torpescas. Obseruauit hoc venerabilis Booz cū seruos & mēssores suos inuisit. videns namq; iuuenulā & alienigenā RUTH sibi in incognitam inter illos versari, *serpentina* prudentia ac zelo inquisiuit, cequēnā illa esset: quò suorum honestatem tectā sartamq; conseruaret: si fortasse lasciuia quædam mulier fuisset, externa specie nequitiam internam velans: sinceritate tamen simplicitateq; *columbina* temerè de illa non iudicauit, neque malū est suspicatus, aut indignans & furens illam mox abire compulit: sed, qua erat prudentia, non prius illam iudicauit, quā rem maturo examine librasset, ne forsan vel innocentem condemnaret, vel ream inter suos indemnē fineret. Quamobrem veritatis cognoscendę studio primarium seruum; cui mēssorum curam crediderat, ad se vocans, examinansq; obiter circa ea, quæ officij sui erant; tandem petiit: *quis est hac puella?* vnde venit, quis huc eam adduxit, quomodo inter mēssores nostros versatur? nec porro *imprudens* aut *curiosa* tantum hæc fuit interrogatio, sed planè *discreta* ac *necessaria*: superiorum quippe est, non legnes esse in subditorum rebus inquirendis, aut temerè tanquam bonum credere, quod boni speciem habet, nisi decipi velint. quem admodum d Iosue Dux à Gabaonitis fuit deceptus, dum se è longinquis regionibus ad pacem incundam venisse mentiebantur: nullum aliud mendacio suo stabilimentum adferentes, quā vestes detritas, panemq; valdè induratum. Iosue verò sine vltiori exanime aut inquisitione fidem eis adhibuit: fœdusq; cum illis percussit: contra quā Deus statuisset, quem licet Sanctus Ambrosius excuset, dicens: *quis*

Subditi sint simplices.

2 Ios. 21. 22. Superiores prudentes.

2. 2. 9. 6. a. 2. ad 3.

Eccl. 1. 7. Ne quid nimis.

Rut. 2. 5.

superiores nec dissimulant, nec temere iudicant.

Rut. 2. 5.

d Ios. 9. 6.

Eib. 3. offic. 6. 10.

e Ver. 14.

f Can. 4. 7.

Sic prudens
sinceritas.

hoc reprehendat in Sanctis, qui ceteros de suo affectu aestimant? nam, ut sancti sunt veritatis amici, & ab omni fraude alienissimi: sincerè credunt se à nemine decipi: sacra tamen scriptura aliquã illius in credendo, paceque cū eis in eūda incuriam insinuat: quia scilicet eos Domini non interrogari, sed antequam Deū confuleret, (quod alijs in rebus facere solebat) id effecerit, ut ita evidens fiat, nō sufficere sinceritatem, nisi comes accesserit prudentia, quæ omnē fraudi vitā præcludit. Propterea dixit Spiritus S. in Canticis: *oculos spōsa esse sicut columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet*: quasi diceret, quātumvis oculi sinceri & candidi sint in rebus exterioribus considerandis & inspiciēdis: internè tamen visum alium acutiorem magisque penetrantem illā habere, ad videndū ea, quæ tum ad proprium, tum ad alienum commodū spectant. Hosce porrò oculos Christus D. *Serpentum* prudentiam nominavit: quum simplicitatem columbinam prius discipulis commendavit; futuri siquidem erant magistri ac superiores aliorum: ad quod non tam simplicitas, quam prudentia conducebat, uti in sequentibus latius deducetur.

CAPVT VIII.

DE VERITATE ET FIDELITATE IN VERBIS
ac promissis, omnis mendaciū fraudisq; genere
reiecto.

a Jer. 4. 2.

2. 2. 9. 39. 4. 5
ad 5.

In verbis.

b Eccl. 28. 29.

Veritas.



VT VVM inter homines commercium, & consuetudo, quod perfecta plenāq; sit, tres illa s comites semper habeat necesse est, quas Ieremias a VERITATEM, IVDICIUM, ac IVSTITIAM nuncupat: nam licet ille verbis nominatum, quæ iuramento confirmantur, tales socios assignet (reuerentia siquidem Sancto DEI nomini debita exigit in primis, ut illi omninō adsint) tamē si (Thoma teste) in nostris omnibus colloquijs, modò perfecta ea esse velimus, eosdem etiā adesse par est, includunt. n. tres virtutes insignes, quarū est linguā cōpescere ac refrenare, ne in verba iniqua prauāq; laxetur, iuxta illud Ecclesiastici consiliū: *aurum tuum & argentum tuum constra, & verbis tuis facito stateram, & freno ori tuo reftos*: ad verba scilicet tua ponderanda, quorum materia esse debet aurum & argentum trium harum virtutum: VERITAS scilicet siue veracitas ac fidelitas. quæ non aliud dicit, quam sentiat; promissis.

missa que implere gestit; IUDICIUM, & discretio quæ benè id ipsum cogitat; diciturque, ut oportet; IUSTITIA denique, quæ ad aliorum profectum, & nullius damnum, quod æquum & iustum est loquitur. Porro omnes tres implere quam maximè conantur, & conituntur sanctum illud Pauli consilium: *c omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad adificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Harum tamen virtutù effectus & spæra, multò patet latiùs: ut potè quæ officia, status ministeria, omnigenaq; opera complectitur, in quibus, ut perfecta sint, VERITAS, IUSTITIA, ac IUDICIUM resplendere omninò debent.

§. 1. De veritate in verbis sita.

VERITATE ducentes initium, illam omittamus, quam S. Hieronymus VITÆ veritatem appellat, & de qua S. Ioannes Apostolus dixit: *a maiorè horù non habeo gratiam, quam ut audia filios meos in veritate ambulare,* cum eius amissi, quæ DEI, statusq; & officij lex est, vitam conformantes; & externas omnes actiones ad eas, quæ in corde latent, sine vllò fūco & hypocrisi accommodantes. At quoniam veritas hæc latissimè patet: ad particularem, quæ in verbis consistit, veniamus. Hæc porro duplex est: altera, cum verba rebus ita respondent, ut neutrum ab altero dissentiat: cuius contrarium dicitur falsitas, quæ ab ignorantia proficitur solet: Altera, cum ipsa verba à cogitatione interiori non dissident; & huius oppositum dicitur mendacium, quod à malitia procedit: ac proinde non idem est, mentiri, & falsum dicere: mentiri namque est secus dicere, quam in animo tuo sentias: quamvis idem in facto ipso sit verum, exempli causa; mentieris coram Deo, si cogitans tibi que persuadens tria & quatuor coniuncta, octo constituere: dicas tamen, constituere septem: at falsum dicere non semper peccatum includit, cum ex ignorantia putas, ea, quæ dicis, vera esse. Quod fieri etiam potest, sine vllò alterum decipiendi animo: nam mendacij finis proprius est decipere, & in fraudem pertrahere: ac propterea nunquam non malum est, iuxta illud Ecclesiastici: *Noli velle mentiri omne mendacium.* Id est, ut exponit S. Augustinus: noli loqui mendacium sacrilegum aduersus Deum, nec perniciosum in proximum; neque iocosum, quod recreationis ergò dici solet, nec denique officiosum ad aliquod tibi vel proximo commodum accersendum: nunquam si quidem licitum est (ut Innocentius Pontifex definiuit) mentiri: quamvis omnium inde mortalium salus dependeret, nunquam enim bonum id esse potest, quod natura sua malum est. Quemobrem, sicut impossibile est, Deum desinere esse Deum, ita fieri non potest ut mentiat. Mystero porro non vacat verbum, noli VELLE; significat enim: quamvis malum sit, inadvertenter, aut ex præcipiti aliquo motu siue passione mentiri; multò tamen peius esse, si sciens volensque mentiaris, propterea

Iudicium.
Iustitia.

c Ephes. 4.
29.

Veritas
vita.
Apud Gregor.
Matth. 15.
D. Tho. 2. 2.
q. 109. art. 3.
ad 3.
a Epist. 3. 4.
I.
Verba sunt
nec falsa nec
mendacia.

b Eccl. 7. 14.
In Psalm.

D. Tho. 2. 2.
q. 110. art. 1.
c. 4.

Cat. super eo
de usuris.
Deus nequit
mentiri.

2.
Sancti rarissime.

Lib. 18. c. 4. quàm rarissime in viros valdè perfectos cadit mentiri, vti obseruat S. Gregorius exponens feruens illud S. Iob studium, animique decretum, quod verbis illis expressit: *c. vixit Dominus: quia non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur mendacium.* Turpius, inquit, est, meditari mendacium, quàm loqui, nam loqui plerunque præcipationis est: *meditari* verò, studiosè prauitatis. Sed vir Sanctus, vt perfectè adhæreat veritati, nec studio se perhibet, nec præcipatione mentiri; summoperè enim cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam, vt vitam alteri præstet, mentiatur: sed hoc quoque mendacij genus perfecti viri summoperè fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur: ne animæ suæ noceant, dum præstare vitæ carni nituntur alienæ. Et quamuis d *obstetrices* Aegypti mentitæ sũnt, quò pueros Hebræorum neci subduceret; & licet hunc in modũ in veteri testamẽto nonnulla possint talia reperiri, nunquam tamen hoc vel tale genus mendacij à perfectis admissum studiosus ibi lector inueniet. Hæc S. Gregor. Huc addere licet, quòd studio meraque sponte mentiri non inodò perfectionis Euangelicæ, sed & humanæ nobilitati quàm maximè aduersetur. Nam, vt dicit Ecclesiast. *e opprobrium nequam in homine mendaciũ, & in ore indisciplinatorum assidue erit. Potior sur, quam assiduitas viri mendacis.* Nam ille facultates, hic verò veritatẽ surripit, ac deprædatur; sæpè etiam nomen & honorè, uterque porrò communem Reip. pacem destruit ac dissipat: & quocunq; perrexerint, eos sequitur ignominia & confusio. Quin & in mundo inter viros honorabiles probrosum est, cuiquam dicere, quòd mentiatur; idque meritò, quia mendacium vilis & abiecti generis esse reputatur. Atque S. Dorotheus ait, proles diaboli, quem testatus est Dominus, *in veritate non stetit, & cum loquitur mendacium ex propriis loqui, mendacè enim esse, & mendacii patre:* quòd ab ipso ortum habuit: dum scil. mendacio quodam conficto, Euam in fraudem pellexit, ac totius humani generis mortis causam dedit. Quare mendaces omnes dæmonem sequuntur, & à Deo, qui suprema ac summa veritas est, recedunt, neque agnũ sequi possunt, quocunq; ierit; nam illum sequentibus, ait Ioannes: *g nõ esse inuentũ in ore eorum mendacium: neq; celorum habitaculum subire vllus poterit, qui eodẽ fuerit inquinatus.* non quòd officiosum vel iocosum mendacium semper celo arceat, cum veniale tantum peccatum sit: sed quòd prius id purgari debeat, quàm in cælũ aditus pateat: & quòd viam paret ad perniciosũ, quòd lethale est. Hinc ait Scriptura, *Deũ perditurũ omnes, qui loquuntur mendaciũ: & eos, quòd mentitur, occidere animã,* & nõ rarò causam esse mortis corporalis, cum nimirũ subditi corã superioribus, à quibus vice Dei reguntur, mentiri præsumunt. Exemplo fuit I. Ananias, & Saphira, qui funesta horrendaq; perierunt morte, quòd Apostolorum principem

deci

decipere conati, imprudenter mentiri sint, à quo audiuerunt, non hominibus sed Deo, cuius vices ipse agebat, mentitos esse.

DENIQUE non sine causa Christus Redemptor venit, ne Christiani iuramentis assuesceret, sed omnis sermo illorum esset, *Est, est; non, non*: discerent se ita veraces in verbis esse debere, ut digni sint, quibus siue affirmantibus siue negantibus, siue promittentibus, etiam nullo adhibito iuramento, fides adhibeatur. Hisce de causis detestandum ac fugiendum est omne mendacii genus, non modo ipsum quod patens est & manifestum, sed & reatum & involutum: quod quia voluti pallio aliquo obtegatur, infame ac probrosum non habetur. Atque idcirco apud plurimos hodie in usu est, modò re exaggerates, modò diminuentes, ex quo duo vitia oriuntur, quae S. Thom. cum Aristotele LACTANTIAM nominat, & IRONIAM. Illa magna & gradua de se ipsa praedicat; & maiora quam reuera sint; & quae aliquando honori diuino aduersatur, qualia fuerunt superbi illius, qui apud Prophetam dicebat: *Deus ego sum*, aliquando honorum proximi laedunt: ut illa arrogantis in Pharisaei magnifica de se ipso depradicantis, alios vero per se despicientis, aliquando etiam non nisi ad vanitatem aut commodum aliquod temporale proferuntur: ac tum non nisi veniale peccatum fuerit, aliis lethale. IRONIA remittit, & pauciora de se dicit, quam reuera sint, idque ficto humilitatis titulo, de quo bene S. Aug. dum praetextu humilitatis metiris: si ante peccator non eras, mentiendo efficeris. Interdum haec à malitia & hypocrisis initium habet, ut sanctitatis nomen sibi comparet; interdum ab indiscretione & imprudentia, & propterea dixit Eccles. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo*. Descedit item à veritate ad excessus aut defectus extrema omnes adultores, & assentatores, & quotquot aulicas fictasque; benevolentiae & amoris ceremonias usurpant: & similiter duplices animo, ioculares, fraudulentis, astuti, subdoli, qui a quiuocis & amphibologicis verbis ad ea quae dixere vel fecere; vel agere aut negare conantur, dissimulanda, utantur, qualia de o muliere adultera refert Sapiens, quod scilicet comedat, tergensque, os suum dicat: non sum operata malum. Fraudes haec (ut ait S. Doroth.) à tribus procedere solent radicibus, maximè in subditis. Primo namque nascuntur ex superbia, qua quis culpam tegit, ne à superioribus reprehendatur, & castigetur; vel cum fraude eandem excusat, dum reprehenditur; vel veritati ipsi praefractè obnititur, ut victor euadat. Deinde oriuntur à sensualitate, qua necessitates aliqua, & lassitudines finguntur, ad leuam aut relaxationem aliquam impetrandam; vel ad laborem, qui imponitur, reijciendum; vel ad se exhilarandum, & tempus garriendo fallendum, nugas & fabulas, quae magis illis arident, referendo. Tertia radix est auaritia & priorum commodorum cupiditas, ut qui negat ea, quae habet, ne dare cogatur; vel ne superior auferat; vel rationes fictas & mendaces producit, ad euincendum id, quod desiderat: huc referuntur etiam infinita illa mendacia, quae lucri gratia negotiato-

res

6.

k Mai. 5. 37.

Mendacium
reatum.2. 2. q. 112. c.
113.

Lactantia.

1 Ezec. 28. 2.
m Luc. 18. 11Ser. 9. c. 31.
de verbis
Apost.
Ironia.

n Eccl. 19.

21.

Adulatio.
Duplicitas.

Prov. 30.

20.

Serm. 9.

1.

Superbia.

2.

Sensualitas.

3.

Auaritia.

Mercatorum.

*Aequiuo-
cacio pessima.*

res inter negociandū intermiscere solēt. Subtilissima porro mēdacia verbi
proferuntur *aequiuocis*, variumque sensum admittentibus: nam ita reip̄a
mentiuntur, vt nemo mendacium manifestum esse deprehendat: & cū nun-
quam mentiri videantur, nunquam tamen veritatem proferunt. Addit ve-
rō idem Sanctus: si aliquando ad vitam proximi conseruandam, vel pacem
Reipublicae fouendam, verbis commutatis veritatem tegere, ac *dissimula-*
re necesse esset: id quidem in tali articulo & necessitate licere; sed magna id
cautela faciendum, tempusque illud tanquam tempus *tentationis* lapsusque
periculo expositum iudicandum: ac proinde suadet, huiusmodi verbis non
confuescere: nam, vt noxium foret, saepe medicamentis purgantibus vti ita
non parum noceret talem sermonem saepius vsurpare, quo veritas ipsa re-
gitur. quare non nisi in *extrema* quasi necessitate, & summo adhuc cum ti-
more vsurpandum; praemissis etiam coram Deo intentione ac desiderio no-
stro à recto nō aberrandi, causamque necessitatis adducta, quae huiusmodi
verbis ac phrasi tunc nos vti compellat. Hæc è S. Dorotheo, vnde manife-
stè patet, quàm sancti solliciti de verborum suorum veritate fuerint, ne vel
minima mendacij vmbra in iisdem appareret.

§. II. *Fidelitas in promissis adimplendis.*

2. 2. q. 8. a. 1.
ad 1. & q.
10. a. 3.
ad 50.

*e. qualiter
de factis.*

*Lib. 2. offi-
cium.*

*Veritas.
Fidelitas.
Iustitia.*

2. Apoc. 19.
11.

VERITATI, de qua hactenus, coniuncta est FIDES siue FIDELITAS
(vt S. Thom. ait) in ijs adimplendis, quæ alijs promittimus. Quæ, vt
recta sit, duo complectitur veram scilicet *intentionem*, ea, quæ promittun-
tur, implendi; (sine qua ipsa promissio mera fraus, ac mendacium censere-
tur: cum aliud lingua loquatur; aliud lateat in corde) & ipsam suo tempore
expletionem promissionis, ita vt firmiter, & constanter, quoddam promissum est,
opere ipso prestetur, iuxta S. Gregorij decretū illud *studiose agendū est, vt, quæ
promittuntur, opere cōpleantur*, id quod FIDEI est maxime propriū: quæ, teste
Cicerone, *fundamentum iustitiæ est, id est, dilectorum, conuentorumque, constantia &
veritas*, vt totius Reipublicæ bonum consistere possit, omnesque rectè suis
officijs ac muneribus fungantur, & eorum obligationibus plenè satisfaciāt,
superiores erga subditos; & hi erga illos, paresque erga pares. Quare Fide-
litas ita semper Veritatem inter & Iustitiam versatur, vt Veritas eam præce-
dat: sequatur verò Iustitia; & ita vtraque eam comitetur, vt omnes tanquam
tres sint valde germanæ coniunctæque sorores, supremi illius Domini val-
de propriae ac familiares, quem S. Ioannes vidit super album equum se-
dentem, qui a *vocabatur Fidelis & Verax; & cum iustitia iudicat & pugnat*. Vt
intelligeremus, Diuinum Verbum Incarnatum sacratissimæ suæ humanita-
ti, Fideliumque congregationi (per album equum, vt supra insinuauimus,
significatis) praesidens eos cum *veritate* in omnibus quæ dicit, cum *fidelitate*
in adimplendis promissis; & cum *iustitia* in suis decretis legibusque confi-

tuen-

tuendis gubernare: imò & in ipsis, quas in suos hostes inuit, pugnis eisdem virtutes seruare: ac proinde suos etiam dilectos seruos ad easdem colendas seruandasq; impellere, vt & *veraces, & fideles, & iustos* se exhibeant in omnibus, quæ dicunt, pollicentur, & faciunt; in omnibus vestigia sequentes Domini ipsius præsentis. Idem siquidem cum albo ac generoso equo eos confert, qui frenum facile admittit, & à prudente peritoque fessore regi se sinit.

Hinc prouenit, vt Fidelitas ad maiorem suam firmitatem in subsidium adsciscat virtutem *Religionis*, quæ Dei cultum & honorem respicit; & cuius actus est *Iuramentum*, quo promissio firmari solet: vt sanctum DEI nomen, eique debita reuerentia, nouo illo Religionis titulo obliget, impellatq; nos ad implenda promissa, & ipsa hominibus debita fidelitas valde augetur, hac accedente, quæ debetur Deo, qui causam illam vt *propriam* accipiens, iniuriam vlciscitur sibi illatam: eò quod insignis censendus sit diuinæ maiestatis contemptus, si quod homini, Deo tanquã teste ac fideiussore adhibito, promittitur, non præstetur. Vtriusque huius rei aptum habemus testimonium & exemplum in casu Gabaonitarum, cum Iosue eiusque duces deceperunt, dicentes, se non esse ex Chananais, contra quos ipsi pugnabant: sed *de terra longinqua venire, pacem cum ipsis facere cupientes*, quibus fidem adhibens Iosue, *fecit cum eis pacem, & in iuro fœdere pollicitus est, quod non occiderentur: principes quoque multitudinis iurauerunt eis*, fraude autem eorum deprehensa, tantam habuerunt sancti nominis Dei rationem & reuerentiã, vt statuerint promissum fœdus illæsum seruare: quamuis ad id ob fraudem, qua decepti fuerat, in rigore non teneretur. Ad eò enim est generosa virtus *fidelitatis* & cum ingenua sua sociã *Religione* coniuncta, vt sua promissa non solum amicis seruet, sed etiam *inimicis*, nec solum sincerè illa impetrantibus, sed aliquam etiam astutiam & *fraudem* admiscantibus: quando scilicet illa possunt absque peccato & notabili aliquo detrimento impleri. Iustus enim diligenter cauet, ne ipsius hostes cogitent, aut existiment, ipsum non præstare quæ debet; etiam si ipsi, quæ debebant, non præstiterint, aut quod in eundem incidat ipse defectum, quem in alijs reprehendit, decipiendo scilicet eos, à quibus est deceptus, non adimplens promissum, quod fraude ipsi extorserunt. Nam esto id aliquando liceat: contrarium tamen magis est generosum, magisq; perfectum & reuerentiæ sacrosancto iuramento debita, magis conformis, cuius rei bonum est testimonium, qui postea secutus est exitus huius casus, cum Rex Saul ob cupiditatem capiendi ciuitates, quas Gabaonitæ possidebant, iuramentum hoc est transgressus, quam transgressionem puniuit Deus ingenti fame, in totum populum Israel missa: *tribus annis iugiter*; reuelauitque Dauidi iam tunc Regi, plagam illam non cessaturam, donec iniuria Gabaonitæ à Saule illata repararetur: ad quam reparationem cum Ga-

Religio.

Iuramentum.

b Iosue 9.6.

Iustus manus ducit quam esse infidelis.

c 2. Reg. 21.

*Peena iustitiae
delictorum.*

boanitar peterent *septem viros de filijs & stirpe Saulis, ut eos crucifigerent*, David ex Dei instinctu eos illis tradidit, quos ipsi crucifixerunt, & ita fames illa plagaque cessavit. Ex quo apparet quam seuerè Deus ex zelo honoris sui, *infidelitatem* puniat non adimplentium, quòd iureiurando promiserunt, etiamsi Reges illi sint; ijs verò quibus est iuramentum præstitum, viles & pauperes.

*Pluris fac
verbum tu-
um quam
totum
mundum.
Plutarch in
vita Anton.
Ribadens
ira l. 2. in
princip. c. 15.
d Pro. 15. 24.*

SED præter hoc ipsa etiam virtus fidelitatis per se ipsam obligat ad implendum, quod promittitur sub nota & pœna deficiendi in veritate; & in eo quod iuxta rationis dictamen, & naturalem legem decens est & expediens. est enim mendacij quoddam genus, quòd quis verbum suum absque sufficienti causa non expediat: id quòd à quouis ingenuo homine procul abesse debet, multo que magis à magnatibus, quorum vel simplicia *verba* maiorem fidem ac certitudinem continere deberent, quàm aliorum *iuramenta*; pluris facientes *simplex verbum suum*, quàm quòd sint ipsius mundi: Domini: quem admodum *Sextus Pompeius* Duci cuidam respondit: facultatem petenti ad quidpiam contra suum verbum faciendum.

*Infidelita-
tem Domi-
ni imitatur
seruus.*

SED aptius huiusmodi hominibus respondet Salomon, dicens: *d nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens*, ex quo intelligent, quantum à sua nobilitate & gloria degenerent, qui cum gloriosi haberi velint, seque ad nubes vsque erigant & suum thronum super alios collocare velint, quicquid tamen se facturos recipiunt, & spondent: transit inuentum & ostentationem inanem absque vlla vtilitate eludentes & contristantes eos, qui spem suam in ipsis collocauerant. Ex quo prouenit, quòd quemadmodum nubibus ac ventis non adherentibus, quas terræ promittebat, pluias, illa sterilis redditur, fructusque non profert, quia sine pluiarum auxilio id præstare non valet: ita cum Principes magnique Domini non fideliter implent, quod subditis promittunt: hi remittunt de sua erga eos *fidelitate*: eò quòd non possint promissionem suam implere ijs, qui suam ipsis non implent: sicut etiam è contra horum fidelitas impellit illos ad suam etiam seruandam. Eum in modum, quo Ecclesiasticus ait: *e Hominem sensurum credere legi, & hanc illi esse fidelem*: & ita seruus Domino suo credit; & sic illi fidelem meritò se exhibebit Si igitur vir nobilis instar nubis aqua plena, qua non inani vento, sed rationis impulsu moueatur: suoque tempore quam pollicetur, aquam dimittat; vt sic sua nobilitati respondeat. Nam alioqui & in constantis & leuis animi est indicium, iudicium sine sufficienti causa mutare, iuxta illud Sapientis: *f Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: stultus verò sicut luna mutatur*. Qui enim quod promisit, pro suo arbitrato non implet: is certè leuiter mutatur; aperteque ostendit, se aut in promittendo fuisse *stultum*; aut certè non implendo illud,

c Eccl. 3. 3.

*Iustus sicut
stans in
promissis.
f Eccl. 27. 12*

do illud, stultum esse. Quod si tamē legitima aliqua causa accederet, cur voluntas mutaretur: nec culpæ, nec leuitati tribueretur, quod promissum non impleretur, rebus enim ipsis mutatis (vt ait Seneca) licet mutare promissa; & de nō impletis conquerenti respondere: *facta res esse eisdem; & ego ero idē.*

Nē quis desit tam veritati, quam fidelitati verborum & promissorum, multum iuvat alter vtriusque locius, quē Ieremias IUDICIUM appellat: quōd S. Thoma teste, est actus *prudētia*; cuius munus est, diligenter omnia attendere, quæ faciēda sunt, & promittēda: benē ea pēpendēdo, & æstimādo, ante quā verbum ex ore egrediatur: iuxta illud Dauidis: *g Os iusti meditabitur sapientiam; & lingua eius loquetur iudicium*, nō quōd os aut lingua per se meditetur: sed quōd nullū proferat verbum non satis cogitatū & meditatū, & quōd iudicetur expedire, vt proferatur, ac propterea dicitur: *h disponere sermones suos in iudicio*, ipsum Dominū imitādo, de quo Sapiens, *q̄ i omnium mensura, & numero, & pondere disponat*, quia verba ipsa numerat, nē superflua sint, aut nimis multa, ob periculū lædēdi veritatem, quōd in multis verbis esse solet. Eadem quoq; ponderat, vt grauiā illa sint peccata, & modestia leuitatis omnis expertia, & quæ nō ab impetu passionis abripiātur, quæ facilitationis iudiciū perturbant, aut a furia, & præcipitatione, quæ impedit hominem ab attentā eorum expensione. Eadem quoq; perfectionis amissi dimittitur, quam Deus præscribit: dādo operam, vt intentio recta sit ac sancta res ipsa bonæ; circumstantiæ, loco, & tempori accommodatæ, & cū reuerentia Dei maiestati debita, in cuius præsentia loquitur, & omnia, quæ dicuntur, audit. Quæ de re fusior in Duce spiritali fuit sermo.

Hæc omnia sunt studio singulari in promissis & sponsonibus seruanda, ita vt in *pondere, numero & mensura* sua executioni mandentur. Dādo in primis operam, ne quōd promittimus, vires nostras excedat, vt sic liceat illud opere ipso præstare. Imprudentiæ enim est insignis tot, adeoq; difficilia polliceri, vt ob eorum multitudinem, & grauitatem non possint executioni mandari, quemadmodum mechanici, & negotiorū actores polliceri solent, se ad talem diem rem aliquam perfecturos, scientes se non posse præstare quōd dicunt; aut recentibus promissis reddētes se impotentes ad priora præstāda. Rationis deinde, legisq; diuinæ regula mensuranda sunt promissa. Nihil enim promittendum est, quōd non *liceat debeatq;* alioquin nulla remanebit adimplēdi obligatio: quin vt promittendo talia deliquisti: ita exequendo delinques: & volens fidelis esse homini, non eris fidelis Deo: neq; (vt S. Aug. ait) vera est censēda virtus fidelitatis, quæ verbum & promissum implet *in iustum*, cū ipsamet iustitia exigat, nec illud impleatur, id quōd etiam iuris regula præscribit, dicens: *in malis promissis rescinde fidem; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Aliquando
licet mu-
tare.
Lib. 4. de
Benef. c. 34.

2. 2. q. 89. a.

7.

g Psal. 36.

30.

h Psal. 115.

1 Sap. 2.

Verba sint.

iudicio

dimensa.

Tract 4. c.

16.

I.

Promissa
sint iustitia.

2.

Iustia.

De bono cō

ing. c. 4.

2. 2. q. 8. c.

In malis.

3.
Certa.

k Mar. 6. 23.

Lib. 7. de of.
fic. c. 10. 9.
lib. 3. ca. 18.
Serm. 11. de
Sanctis.
Vide 2. 2. 9.
4. c. Est eti-
am, &c.
Quod Da-
uid.

HINC etiam fit, insignis cenferi imprudentiæ, in genere, & in confilio promittere, & offerre se ad faciendum quicquid alter petierit, præcipuè cum de petente timeri possit, quod sit rem iniustam petiturus. Quemadmodum Herodi euenit, qui saltatrici filia Herodiadis k iurauit: quia quicquid petieris dabo tibi; ipsa autem petijt, dari sibi in disco caput Ioannis Baptistæ. Qui (vt S. Ambrosius ait) imprudens fuit in promittendo; & multò peior in adimplendo promisso: quia nunquam potest esse legitima fidelitatis materia, quæ simul est iniustitiæ. Multò meliùs (ait sanctus Augustinus) fecit Dauid, qui etsi iurasset, occisurum se diuitem illum Nabal Carmelum; ad preces tamen vxoris eius Abigail ab eo quod iurauerat destitit, pœnitudine sua præueniens & auertens ingens damnum, quod ex præcipiti suo iuramento, si illud seruasset, fuisset consecutum. De hoc tamen puncto fusiùs agetur, cum in tertio Tomo erit sermo de votis.

CAPVT IX.

PERFECTIO IN LOQUENDO BENE DE PROXIMIS absque adulatione: cautè autem coram esse laudandos.

2 Cant. 4. 2.
11.Charitatis
lingua.b Eccl. 20.
11.

c Eccl. 20. 5.



DIRE optimo de Sapientibus Ecclesiæ dixit Spiritus sanctus, quod essentia sicut *vitta coccinea*; & haberent *mel & lac sub lingua*: nam quemadmodum *vitta* spargit capillos colligit, & ligat; ita *charitas* ipsos fideles, qui Reip. Christianæ sunt partes, vnit, facitq; valdè concordēs dulcedine & suauitate bonorum verborum & sermonum, quibus omnes allicit, eisq; bonum, quod potest, præstat: nunc illos *laudando*, & honore afficiendo; nunc *excusando*, defendendo, eorumq; causam, in quibus expedit, propugnando: hæc est *charitatis lingua*, quam prudenter exercere debes, sequens illud Ecclesiastici consiliū, dicentis: b *Sapiens, in verbis se ipsum amabilem facit*: aded enim benè de omnibus loquitur, vt omnes propterea illum ament, magniq; faciant.

SEN quoniã error aliquis facillè in hoc accidere potest, necesse est, duo vitiosa extrema euitare, *nimis enim*: scilicet, & *parcitatem*: *parci* deficiunt in hoc, qd proximi bonū in loco, tēpore & occasione tacēt, in quibus ad rē fuisset illud manifestare. Quod licet interdū ex quadā naturali parcitate & ad loquēdū ineptitudine proueniat nã (vt Sapiens ait): c *est tacens, non habens sensū loquela*, quia scilicet discretionem ad id non habet; sed vt plurimum parcitas

hæc

hæc oritur ex rancore, aut inuidia, cuius proprius est effectus, vt si non malè de alijs loquatur: taceat saltem quod in illis est bonum; doleatque, quodd alijs benè de illis loquantur nec loquentes, in eo sermone iuuent. In extremum *nimietatis* incidunt, qui plus alios laudant, quàm par sit; quod vitium generali vocabulo appellatur *ADVLATIO*, quæ, teste S. Tho. ex quatuor circumstantijs redditur vitiosa.

PRIMA circumstantia est, cum *male* ab alijs facta laudantur, vindicta verbi gratia, quam de suo aduersario sumpserunt. Qua ratione (vt S. Gregorius expendit) datur illis occasio in malo suo statu perscuerandi. id quod etiam Dauid insinuat, dicens: *d quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & iniquus benè dicitur: exacerbauit Dominum peccator, & secundũ multitudine ire suæ, non queret quodd sibi maximè expediret; non est Deus in conspectu eius,* quia non cogitat de illo: *inquinata sunt via illius in omni tempore.* Nam (vt ait S. Hieronymus) nihil adeo facillè bonos hominum mores corrumpit, atque adulationes & laudes vanæ. Quæ lethalia erunt peccata: si id, quod laudatur, est tale; venialia verò, si sit leue: illis enim competit quod Isaias minatur, cum dicit. *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum,* cum scilicet id, quod malum est, atque si bonum esset, laudatis. & Sapiens in eundè sensum dixit: *qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

SECUNDA circumstantia est, cum quis ob solam externam speciem & apparentiã boni, absq; aliò indicio bonitatis eius laudatur aut vltra meritũ extollitur. Hoc insinuauit Ecclesiasticus, cũ dixit: *e non laudes virum in specie sua,* ob pulchritudinem scilicet aut externam tantum superficiem, nimium æstimando corporis elegantiam: aut ex ea sola, animæ pulchritudinẽ conijciendo: & tanquam Sanctum eum laudando, quem vides exterius benè cõpositum. Et idem Ecclesiasticus alibi dicit. *f ante sermonem non laudes virum,* hoc est, non prius laudes, quàm *loquentem* audias: eius enim verba ostendẽt, qualis ille sit: nec decet prius laudare, quàm eũ *noueris*: exponis enim te periculo tanquam iustum approbandi improbum, alijsque perniciosum. Et hanc ait S. Ambrosius esse causam, cur Deus D. N. statim atque reliquas res corporales creabat, easdem laudabat: quia earum bonitas sita erat in *externa* specie earum; sed cum hominem creauit, noluit laudare: quia bonitas eius non est in externis sita, sed in *internis* & occultis, quæ non apparent: quare, donec illa per externa opera manifestetur, non est ille laudandus.

TERTIA circumstantia est, cum probabiliter timetur, quod laus nostra impellet probum hominem ad *inanem gloriam*, & luperbiam: qua excidat à virtute, quã habet; aut illam imminuat. Et hoc insinuãs dixit Ecclesiasticus: *ante mortem ne laudes hominem quemquam,* tanquã Sãctum: fieri enim

Laudatio non sit par ca.

2. 7. 9. 115. 6. 1. 6. 2.

I. Lib. 4. mor. cap. 3.

d Ps. 9. 24.

Adulatio laudat peccata.

Epist. ad Celsantiam de ratione pie viuendi.

Isa. 5. 20.

2.

c Eccl. 11. 2.

Externam speciem.

f Eccl. 27. 8.

De Inst. 1. Virg. ca. 3. Homo laudandus ab internis.

3.

Cum periculo subuersionis.

Eccl. 11. 30.

Deum non
solum lau-
dat.

4.
Vt homini-
bus placeat

g Gal. 1. 10.
h Ps. 52. 6.

Prov. 29. 5.

k Isa. 3. 12.
Blandus i-
nemicus,
crudelis a-
micus.

l 31. moral.
c. 20.

potest vt ob tales laudes ille mutetur, excidatque a felicitate & sanctitate, quasi fruitur. Ac propterea ait idem S. Ambrosius, Deum non laudasse primū hominem statim atque illum condidit; sed laudes illius ad eius finem reseruasse, in quo tum laus erit securior: tum ipse bona sua vita eam erit promeritus.

QVARTA circumstantia est; cū laudes nostras eō præcipuè dirigimus, vt hominibus placeamus: siue vt illi nos laudent, siue vt emolumentum aliquod temporale ab illis obtineamus: ita vt finis nostræ laudis sit vel inanis gloria, vel auaritia, aut inanis aliorum voluptas: tunc enim rectè habet locum, quod ait Apostolus *g si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem* nam h, *Deus*, ait Dauid, *disipauit ossa eorum, qui hominibus placent*. In his omnibus casib. adulator agit *inmicum* quidem blandum, sed *amicum* valde crudelem, ob graue, quod proximo infert, detrimentum: iuxta illud Salomonis: *i homo, qui blandis sicutisq. sermonibus loquitur amico suo, rete expādit gressibus eius, vt ad ipsius pedes corruat confusus, ob grauiā peccata, in quæ adulationum ipsius causa labetur*. Quod etiam clariùs adhuc Deus ipse per Isaiam monuit: *k popule (inquit) mens qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. nam, cū te ob malefacta laudent, occasionem præbent, vt illius iacturam facias, dum te ob nomen bonum, securum reddunt: vt turpiùs postea cadas: quod si laudent ob aliquod bonum, quod non habes, efficiunt, vt credas, te illud habere. Nam quia te ipsum valde amas, facile credes, esse in te, quod dicitur de te: quas ob causas adulator (vt S. Greg. notat) est tanquam *locusta*, fructus rodens & consumens; & tanquam *apis* in ore habes *mel*; aculeo verò pungens. Quare perfectionis cupidus summè horrere debet hoc vitium, propter damnum, quod suæ & proximi animæ adfert. Nec tamen propterea prudentes laudes & ex charitate prætermittendæ sunt siue coram, siue absente proximo: adhibitis tamen circumstantijs, de quibus iam dicemus.

§. I. Laudes in absentia

LAUDES proximorum *absentium* cū eorum virtutes coram alijs referuntur, vt bonam eorum opinionem habeant, eosque magnificent, securiores multò sunt, quā quæ *coram* & in eorū præsentia proferuntur: tum quia ijs, qui laudantur, nullū ex hoc *periculum* imminet: tū quòd magis distent ab *adulatione*, & puriores sint à nota alicuius *lucris* aut mercedis. Nam, qui aliquē præsentē laudat, statim solet gratiarum actionē, tanquā suæ laudationis præmium accipere: qui verò nō præsentem laudat, eo ipso ostendit, se non ab *hominibus* præmium, expectare; sed à Deo, qui præsens est: & potius excitari se ob honorem virtutis, vt illa ab hominibus aestimeretur:

quam

quam ob suum, quem ab ijs speret, quos laudat: quamuis neque proprio cariturus honore: qui virtutis est premium: semper enim qui bonam habet linguam, beneque absentib. loquitur, amatur, & in veneratione est: quia facile nobis persuademus, ita de nobis eum locuturum oblata laudum nostrarum occasione.

BONVM hoc in absentia laudandi officium in tribus precipue occasionibus merito prestabis. *Prima* est, quando id ad malum & incommodum aliquod proximi euitandum est necessarium. Si. n. intelligas, eius honore, famam, facultates, aut vitam, aut iusta eius vota & conatus in periculo versari quod tu possis, producto in medium bono, quod in eo nouisti, praeuenire: æquum certe est, bonum illud producere, omnique liberalitate intra veritatis tamē limites, laudare. Quemadmodum Ionathas, aduertēs Saulis patris sui irā in Dauidem, quem contra omnem rationem & iustitiam persequeretur, ac de morte ei inferenda agebat a locutus est de Dauid bona ad Saul patrem suū, quē cum audisset Saul, placatus est voce Ionathæ: & tunc à persequendo Dauidē cessauit. Quod si quis inuidus ex tali laudatione tristaretur, dolens talia bona de proximo dici: nō est propterea prudens ac discreta laudatio intermittenda: hoc enim esset scandalū tantū, quod *passiuū* appellamus, acceptū scilicet sine causa, ex sola audiētis malitia, nō verò datū culpa ipsius laudātis: quemadmodum Deus S. Iob, coram Sathana laudauit, benè conscius, quod Sathanas ex inuidia concepturus esset animum eum tentandi, ac persequendi. Vt plurimū tamen expediet ita absentem probū laudare, vt presentib. nō praeferatur. id enim esset inuidiarum & discordiarum seminarium. Sicut vidimus, omnem Saulis inuidiā & furorē in Dauidem initiū sumplisse ex eo, quod mulieres in signum lætitiæ præcinerent, ac ludentes dicebant: *b percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* ex quo iratus est Saul nimis

SECUNDA occasio loquendi benè de proximo est, quando ad bonum eius & utilitatem refert, vt is, corā quo laudes eius dicuntur, eas nouerit, precipue si de ijs interrogaris, & ad dicendum quod de eo sentis, prouocaris. Tunc enim non satis tibi esse debet, quod veritatem dicas necessariā, vt ad interrogata, quod *iustitia* requirit, respondeas; sed æquum etiam est, tunc addere quidquid cum veritate dici potest, ad bonam illius proximi opinionem promouendam; & *commodum* aliquod eidem hac via præstandum, quemadmodum videre licet in responso dato Booz ab eius famulo, cum interrogaretur, quæ esset illa puella, quæ in agro erat: nam quamuis ad hanc interrogationem satis fuisset dicere: *hec est Moabit, quæ venit cum Noemi*: non tamen contentus id dixisse, in laudem ipsius Ruth, adiecit ea, quæ in illa obseruasset, ad pleniorē ipsius Booz informationem, referens eius *humilitatem*, & modestiam, qua spicas colligendi, à messi-

Amatur,
qui absen-
tes laudat.

1.

Laudandus
proximus
ut eum à
malo libe-
ret.

a1. Reg. 19.
4. 5.

Ob Inuidi-
diam alie-
rius ne fa-
lias.

Cave, pra-
sentibus ab-
sentem pra-
feras.

b1. Re. 18. 7.

2.

Vt bonum
eius promo-
ueas.

c Ruth. 1. 6.

bus

bus relictas, facultatem petijisset; ac de mane usque ad vesperam in agro stetit, & ne ad momentum quidem domum reuerla esset; sed in magno silentio absque ullius offensione ita remansisset, vt nec in summo actu ad vmbra aliquam diuerteret, ne quam male de se suspicandi occasionem alicui præberet. Et hac ratione non solum bonam ipsi *Ruth* opinionem creauit; sed etiam Dominum suum *Booz* permouit, ad beneuolentiam eidem & fauorem liberali manu exhibendum. vt ex hoc constet, quã sit proprium & familiare bonis laudare bonum, quod in alijs vident, cum Prælatos & Principes, aliosque homines alloquantur, qui studiosis *præmium* virtutis reddere, & auxilium in eorum necessitatibus ferre possunt. Idque faciunt multo exactius, cum ij, quos commendant, sunt *pauperes*, & in hominum obliuione; & quasi in angulo aliquo huius mundi delitescentes, non habent, qui vel manum illis porrigat, aut verbum bonum pro illis loquatur. & hic est quidam misericordie & eleemosynæ modus valde facilis, & omnibus utilis. sæpè enim, vt Ecclesiasticus dixit: *verbum melius quam datum*, quasi dicat: sæpè est vtilior eleemosyna, verbum bonum, quam si munus aliquod offerretur. Quare si non habeas, quod dare possis, licebit hac ratione agere cum habente, & intercedere pro indigentibus: laudando eorum virtutem, vt subsidium illis adferat. Et quoniam homines non minus honore & fama indigent, quam fortunis; si eleemosyna iudicatur aliquam pauperi offerre pecuniam, qua se alat: etiam erit bonum eleemosynæ genus, bona verba pro indigente proximo proferre, quibus eius fama & honor conseruetur & augeatur; si quidem Sapiens dixit: *melius esse nomē bonum, quam diuitias multas*: illud enim solet esse aptum medium ad eas obtinendas; quæ admodum euenit pauperi *fcuidam vidue* suis bonis spoliata: quæ cum *ad Regem Israel accedere vellet*, vt recipere illa posset: *Giezi* puer *Elisæi* Prophetæ, qui Regi tunc aderat, ante quàm illa quicquam peteret, ita illam commendauit, referens mirabilia, *qua fecerat* erga illam *Elisæus*: vt statim Rex iussit, *restitui ei omnia, quæ ipsius fuerant*.

TERTIA occasio absentem proximum laudandi est, quando expedit, homines bonam de illo habere opinionem, præcipuè si persona sit publica: vt, tali de eo opinione concepta, alii ex eius doctrina & exemplis proficiant: eum in modum, quo *Christus D.N.S.g Ioannem Baptistam* coram suis discipulis & Iudæis commendauit, vt *doctrinam*, quam ille prædicabat amplecterentur, sanctamque *vitam* aliqua ex parte imitarentur. Et in hunc finem magnæ prudentiæ est, seruantes concionatores, bonosque prælatos, ac Iudices laudare, ac commendare, & omnes denique, qui officia aliquæ gerunt proximis vtilia, vt sic permoueantur ad vtilitatem & profectum ex bonis eorum exemplis, & consiliis capiendum.

Laudandi
mi Vtilis
audienti.

d Eccl. 18. 16
Pauperes
commendare,
prompta
Eleemosyna.

c Prou 22. 1

f 4. Reg. 8. 1.

Famam
proximi
conserua.

3.
Ad aliorum
commo-
dum.

g Mat. 11. 7.
gloriam: 35.

Laudandi
operarij.

DENIQVE lingua (vt S. Iacobus Apostolus ait) data est, *ut fons ellet aqua dulcis*, dulcia verba proferendo, & vtilia ad gloriã Dei, & bonum proximo- rum etiã hostium. & ipse Saluator iuber, *benedicere maledicentibus nobis*: hoc est loqui benè de illis, qui malè de nobis loquantur; cùm igitur nullus adeò sit improbus, qui non habeat aliquid boni, ob quod laudari possit: æquum est, vt lingua suo fungatur officio: malum reticendo, manifestando autem bonum, iuxta regulas rationis; nam, vt idem Apostolus dixit: *non potest fons de eodem foramine emanare dulcem & amarã aquam*: nec dulcis poterit a- marã dulcorare; sed amara potiùs dulcem inficiet. Quamobrè lingua sem- per habere debet dulcedinem in verbis; nullis malis & amaris admixtis, quæ illa deprauent.

§. II. *Laudes in presentia.*

MAIOR attentione opus est in laudandis proximis, cùm sunt *presen- tes*; vt laudatio sit vtilis, & non noxia. Præmittimus autem, quòd li- cèt vt plurimum homines laudemus ab aliquib. dotibus naturalibus quas habent: è pulchritudine V. G. aut robore corporis; à memoria, ab inge- nio, & alijs naturalibus animæ ornamentis: proprie tamen (vt Aristoteles di- xit & S. Thomas cõfirmat) non sunt laude aut vituperio digni ob huiusmo- di res naturales, quæ non sunt in eorum potestate; sed ob eas, quæ à *libero eorum arbitrio* dependent: nec hæ quidem omnes laudem apud Deum promerentur; sed illæ tantum, quæ sunt *studiosæ*: virtus enim absolutè hominem facit laudabilem, sicut vitium eundem facit contemnendum. Et in hunc modum explicat S. Bernardus sententiam Ecclesiastici, quam his ver- bis refert: *neminem laudaueris in vita sua duplicem*, inquit, homo habet vitã; alteram *propriam* à natura sua corrupta, & misera. Et propter hanc, vt di- ctum est, non laudem promeretur, sed vituperium: alteram habet *non suam*, sed *DEI*, à diuina eius gratia communicatam: propter quam laudari potest: nam tunc laus non est præcipuè ipsius hominis; sed Dei, cuius illa est *vita* ac proinde etiam *gloria*, quæ ex illa oritur. Et quoniam iustus non in se vi- uit, sed in Christo: cùm laudatur, non in sua, sed laudatur in vita Christi, qui gratiæ suæ dona in ipso posuit. Quare ita vir probus in sua præsentia est laudandus, vt in memoriam illi reuocetur præcipuus ipsius boni & virtu- tis auctor, ne ex ipsa laudatione damnus sentiat; sed vtilitatem, in quam illa ordinatur, hoc est, vt in virtute foueatur & confirmetur; & persuerare & perfici in ea possit: quod obtinebit, si memor sit bonum, quod habet, nõ ipsius esse, sed Dei, cui gloriã reddere; & in quo fiduciam suam collocare debet. Alioquin facillè ob suam superbiam aut fiduciam propriam, aut se- curitatem nimiam illud amitter.

4.
Iac. 3. 11.
Luc. 6. 8.
De nullo
nisi bonum
loquar.

Li. 3. Eth. c. 5
1. 2. q. 21. a. 2
Sola virtus
laudabilis.

Ep. 13. & ser.
5. de Sãctis.
Ecc. 11. 30.
vini LXX.

In Christi
vita lauda-
tur iustus.

Christus a
quos lau-
dauit.

b Luc. 7. 44.

d Luc. 19. 8.

e Mat. 8. 10.

f Mat. 16. 17.

Defectus
virtutibus
miscendi.

g Apo. 3. 11.

h Ecc. 11. 30.

i Mat. 11. 11.

Eandem
qui securi
sunt.

2.

k Rut. 2. 13.

Tom. 1. 114.

2. c. 10. 5.

H V N C in modum laudauit Christus, D. N. multos in eorum præsentia: tam vt illis animum adderet; quã, vt tepidos & murmuratores cõfunderet, eosque ad illorum imitationem permoueret. Laudauit *Magdalena*, opus, quo b *lachrymis rigabat pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, eosque osculabatur, & unguento ungebat*: eam enim laudando confundebat pharisæi torporem, malè de illa sentientis; *Zachai* quoque zelum laudauit, dicenti: *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudauit reddo quadruplũ*: propter quod, dum ipsum laudauit, *filiumq;* dixit esse *Abrahe*, cæteros publicanos excitauit ad illius imitationem. Fidem etiã *cæturionis* laudauit, dicens: *ese non inuenisse tantam fidem in Israel*, vt sic Iudæorum incredulitatem argueret. Laudauit etiam *S. Petri* confessionem, vt reliquos discipulos ad eandem magis excitaret: sed adiecit: *Beatus es Simõ Barionia, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*: vt intelligeret, in quem deberet laudationis illius gloriam referre; gratumque se exhiberet ei, à quo tale beneficium accepisset. Et in Apocalypsi artificio mirabili laudat idem Dominus *Episcopos Asia*, ad quos literas scribi iubebat, in quibus eorum *virtutes & bona opera* referrentur; sed mox subiungebat aliquos eorum *defectus*: vt, si laudatio illos extolleret, admonitio defectus humiliaret: & minimum eos, defectus perseverantiæ admoneret. sic enim quendam expressè monuit dicens: *g tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: ne ob laudationem illam putaret se esse securum: sed attenderet, se, dũ viuere, mutationi esse subiectum: Quamobrem dixit Ecclesiasticus: *h ante mortem ne laudes hominẽ quenquam*, ea scilicet laude quæ debetur beatis, plenam iam victoriam adeptis. siquidem quam diu pugna durat, semper est pereundi periculum. Quamobrem cum Christus D. N. multa in *S. Ioannis Baptista* laudes dixisset, adiecissetque: *i inter natos mulierum non surrexisset eam maiorem*, subiunxit: *qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*, quasi dixerit: omnes hæ laudes sunt hominis adhuc in terra viuentis, & mutationi subiecti. Ac proinde, quantumuis Ioannes sit Sanctus, non attingit tamè ad *securitatem* minimi iam beati, qui ratione sui status potest integrè & plene laudari, tanquam victoriam iam consecutus.

S E D V T ad nostram historiam redeamus, præclarã valde fuit ipsius Booz prudentia ac discretio in laudandis bonis ipsius Ruth operibus. k *Nunciata*, inquit, *sunt mihi omnia, qua feceris socrui tue post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es & veneris ad populũ, quem antea nesciebas, reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel ad quem venisti, & sub cuius confugio isti alas*: quibus verbis perfectus ille vir ostendit zelum suum, quem superiores habere debent in confirmandis & fouendis Tirionibus in Dei seruitio, laudando scilicet illos, vitæque

muta-

mutationem factam approbando; & quod vitia deseruerint, & socios malos; aut quod mundo valedixerint, domuique paternæ, vt religionis statum amplecterentur. nam quemadmodum alijs improbrantibus, quod benè faciunt, timidiores ac tristiores redduntur & interdum retrocedunt, & benè inchoatam viam deserunt: ita è contra magis excitantur ad progressum, valdeque exhilarantur, quando alij approbant: & factū laudant, præcipuè cum magna alicuius auctoritatis homines id faciant, quorum approbatio & laus pluris omnino fit. Id quod commune illud prouerbium confirmat: *virtus laudata crescit*, quemadmodum teneræ plantæ aqua irrigatione crescere solent: non quod præcipuè ob laudes operetur (hoc enim non virtutis sed vitij vanitatis esset) sed quod motiuum & occasionem ex laudatione accipiat, ad operas perficienda, quæ à bonis laudantur, à sapientibus probantur, & à potentibus magni fiunt.

DE NIQVE est specialis quædam occasio, in qua expedit proximum laudare: cum scilicet ille est valde tristis, pusillanimis, & in periculo versatur labendi in abyssum *desperationis*: tunc enim æquum omnino est, bona, quæ ille fecit, laudare, & gratias ac dona à Deo illi collata in memoriam ei reuocare, in eum finem, vt respirans, nouam concipiat fiduciam: quemadmodum Apost. ad Hebræos in similib. angustijs cõstitutos scribens, hæc dixit: *Rememoramini pristinos dies, in quib. illuminati, magnū certamē sustinistis passionum. Et in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vindictis compassi estis, & rationem honorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem: & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestrā, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* hæc Apostolus, qui sæpè in suis literis ex huiusmodi occasionibus virtutem laudat afflictorum, ad eos consolandos. Nec mirum est, quod in eum finem virtutem alienam laudemus: siquidem in similibus periculis constitutis nobis licet imò expedit propriam laudare: laudare intelligo, virtutes & insignia opera, quæ Deus per nos fecit, referre; vt sic deiectum cor nostrum erigamus, confundamus verò Dæmones, & omnes hostes, qui nos in profundo desperationis sepelire contendunt: nam S. Iob satis fusè virtutes suas retulit, non ex vanitate, sed nē in desperationis abyssum corrueret, in quam eum dæmon per eius amicos præcipitare volebat: constat autem illum tunc non errasse: siquidem Deus ipse eum postea laudauit, eiusque approbauit sententiam.

Tyrones
laudandi.

Ve agnos-
cant se bene
egisse.

Tristes lau-
de erigendi.

Heb. 10. 32

Tristi etiam
proprijs vir-
tutibus se o-
rigere licet.
Iob. 31. per
eo.

Iob. 42. 7.

CAPVT X.

TRES IMPROBÆ LINGVÆ, QVÆ MALE DE
alijs in presentia & absentia loquuntur. pacemq; ineptis
narrationibus turbant: & ratio, qua quisque
cas in se ipse contineat.



a Eccl. 28. 15

Tres linguae
malignae.

b Apo 16. 13.

c Ps. 90. 3. 6.

IRTVS iustitiæ, ad quam spectat proximorum iura tueri, meritò debet omnes nostros sermones comitari, vt tres malas linguas refrenet, quarum a Ecclesiastic. mentione facit, quia earum munus & occupatio non alia est, quam male loqui de proximis, detrahendo illis honorem, & reuerentiam ipsis debitam; aut famam, bonumque nomen, quod apud alios habent, obscurando, & amicitiam concordiamque mutuam inter alios dissoluendo. Hæ tres linguæ instar sunt *trium spirituum immundorum*, quos Sanctus Ioannes vidit prodire *de ore draconis in modum ranarum garrularum ac coenofarum*. Sunt etiam tres tentatores, à quibus verba procedunt *aspera*, quæ Dauid vocat *sagittam volantem in die, negotium perambulans in tenebris, incursum & demonium meridianum*. PRIMVM enim est instar *sagittæ*, quæ propterea dicitur volare in die, quòd aperte & in presentia iniuriæ affecti, iniurioso ipsum verbo lædat. SECVDVM est, quasi negotium, quod in *tenebris* geritur, quia eius sermo fit ablente proximo, contra quem profertur, optando, ne ad eius notitiam perueniat. TERTIVM verbum est, quasi incursum quidam & demonium *meridianum*, eò quòd tales inter proximos excitet controuersias & pugnas, vt lux ardorque charitatis, quæ inter illos seruebat, talis verbi causa, refrigescat.

S. I. *Quatrium linguarum sit perniciosissima.*

HARVM trium linguarum prima est perniciosissima, eò quòd maior sit impudentia presentes proximos iniuriæ afficere, eructando in conspectu *venenum*, quod in corde latebat; & expuendo (vt ait Sanctus Gregorius) in eorum facies *fordida spuma* iniuriarum & opprobriorum; & *sagittas* verborum ignominiosorum in eorum faciem iacendo: & infamibus *irrisionum lapidibus* eos lapidando: eum in modum, quo Semei, crudelis Dauidis inimicus *dimittebat contra eum lapides*, & quod

2. 20. Mor.
6. 1.

d 2 Re. 16. 6.

hor-

horrendum magis erat, lingua magis illum lapidabat; egredere, inquit, vir sanguinum, & vir Belial, quoniam inuasisti regnum pro Saule, ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

Hæc lingua (teste S. Thoma) pungere solet manifestando duo genera defectuum ignominiosorum. aliqui sunt animi defectus, vitia scilicet & ignorantia: vt si quis per contemptum alium appellet furem, aut stultum, mētis impotem, & simplicem, in quod peccatum tulit Christus Dominus sententiam æternæ damnationis, dicens: *e qui dixerit fratri suo FATVE animo illum iniuriandi, dignum esse Gehenna ignis.*

ALII sunt defectus corporis, qui pudorem aliquem & confusionem adferunt, quos solent homines in faciem obijcere proximis, vt illos irrideant, vt cum luscus aliquis appellatur, aut lippus. Quod quàm sit graue peccatū, apparet in seuera illa quadraginta duorum puerorum punitione, qui Eliæum Prophetam irridentes, dicebant: *fascende calue, quos lacerauerunt duo tremendi vrsi egressi de saltu*, tanquam Dei iustitiæ carnifices, iniuriam Prophetæ illatam vlciscentes. Alij sunt defectus in bonis fortuna, quæ aliquem inter homines contemptum adferunt, quibus alij alios iniuria afficiunt, insultantes eos quod sint rustici, aut Iudæi, aut officij vilitatem, quod habent, illis exprobrantes. Quemadmodum Pharisei Christum Dominum apellarunt *e filium fabri*, aut impropertes, quod eis in necessitate aliqua constitutis contulerunt, quemadmodum ait Ecclesiasticus, quod *si suspiciens exigua dabis, & multa impropertabit*: & quod *aperti oris illius inflammatio sit*: quia verba profert vrentia, osque in eum sinem aperit, vt in famet & confundat proximum.

His peccatis valdè affinis est IRRISIO, dum hi defectus obijciuntur; nō vt de decore sanguinem eliciant, sed vt rubore tantum afficiatur ob pudorē qui ex tali auditione cōcipitur, etiam si ioco obijciantur. Et tunc peccatum quidem non esset ad eodē graue, sed excederet valdè superiora (vt ait S. Thomas) si esset irrisio serua, & propterea obijceretur, quod ad eodē vilis opinio de proximi rebus haberetur, adque si essent ludicra & ioci. Quot si ita irriderentur prohi & studiosi viri, esset peccatum grauisimum: nam (vt S. Gregorius dixit) *sæpe lingua à bono opere, dum vituperat, renocat*. Si enim vituperetur & indeatur iuuenum modestia, religiosorum mendicitas, piorum oratio, & frequentia Sacramentorum, & remissio iniuriarum, & pauperibus ministerium exhibitum: certum est, debiles ac pusillanimes, hæc virtutum exercitia fugituros, vt irrisione euitent, qua homines iocularis illa afficiunt.

Sed multo adhuc maius detrimentum adferunt hæc verba, quando sunt sicut *sagitta in die*, non solum eodē quod in præsentem & manifeste obijciatur; sed quod ita dicantur, vt lucis & claritatis speciem quandam præferre vi-

1.

2. 2. q. 72. a.

1. ad 3.

Contumelia.

c. Mat. 1. 22.

2.

Contumelia.

f. 4. Reg. 2.

3.

3.

Impropertium.

c. Mat. 13. 55.

f. Eccl. 10. 15.

4.

Irrisionis

tres gradus.

2. 2. q. 75. a.

2.

Lib. 9. mor.

cap. 5.

5.

Maxime si

speciem ve

ritatis ha

beant.

g Iob. 6. 25.
 Et c. 12. 4.
 Zelus ind.
 discretus
 plus nocet
 quam ma-
 litia.

Ho. 2. in Epi.
 ad Rom.
 h Prou. 18. 3.
 Et c. 26. 22.
 Verbi con-
 tumeliosi
 damna.
 Serm. de cu-
 stodia ma-
 nus, lingue,
 Et cordis.
 1 Psa. 49. 19.
 k 2. Reg. 16.
 6.

Calumnia
 est calum-
 nia. et si in
 mansuetum
 incidat.

deantur; eum in modum quo indiscreti ac zelosi in suis disputationibus, aut lectionibus solent contumeliosorum verborum sagittas iacere, existimantes, se Dei gloriam & veritatem ipsam propugnare, quemadmodum amici Iob linguis suis crudelius spiritum eius vulnerarunt, quam daemon corpus vulnerasset. Et quamuis non ex malitia illum laederent, valde tamen fortiter pungebant: saepe enim maior est vehementia & furor spiritus zelantis, quam malitiosi: nam zelus sine discretionē furor est: & quoniam existimat, se non aberrare, sed quod rectum est tenere, magna cum furia ictum iacit.

EXECRANDAM hanc linguam reprimunt virtus IUSTITIE sancti timoris Dei freno, perpendendo scilicet iniuriam, quæ huiusmodi verbis proximo inferitur; *damnum*, quod animæ sui fratris, imò & propriæ adfert; & horrendam pœnam, temporalem & æternam, quàm hoc nomine promeretur. Quis nō linguam suam refrænet; si (vt ait S. Chrysoft.) perpendat: *quod maiora vulnera efficiunt verba quàm tela*: hæc enim corpus, illa animam lædunt; hæc in ipsa carne sistunt, illa (vt ait Sapiens) *hæc perveniunt usque ad interiora ventris*, & ipsum penetrant cor; hæc vita corporalis; illa spirituali priuant, & æterna. Et prius ipsū iacentem, quàm in quos iaciuntur, interimunt. Vipera est verbum contumeliosum, quod vt prodeat ex ore, ipsius matris viscera frangit; & cum exierit, suo veneno inficit, interficitque omnes ad se accedentes; Gladius (inquit S. Bernardus) est biceps aut etiam triceps, qui no ictu tres interimit animas; eam scilicet, quæ loquitur, & quæ ictum accipit impatienter; & quæ libenter verba ipsa audiunt, aut ex eis, *scandalum accipiunt*, nam quemadmodum amor amorem, ita odium generat odium: & quoniam huiusmodi verba rancoris & odij sunt indicia; facile illud in ipsis audientibus gignit, nisi illi sint valde perfecti: qualis erat David, quem k *Semet lapides* nec ad odium, nec ad impatientiam, ob ipsius magnam sanctitatem, permouerunt; ipsos tamen eius Duces ad magnam iram & vindictæ cupiditatem prouocarunt, nisi David prohibuisset. Non tamen censendus est non peccare grauitur qui dicit calumniam, etiamsi is qui patitur, a quo illam animo ferat: siquidē ille quod in se fuit, nocuit, quantum potuit: quemadmodū qui hastam aut sagittam in alium iaculatur, aut pugione eū percutit, etiā si reuera nō lædat, eò quod ferro thorace indutus ictum ille prohibuerit, grauitur peccat. Item, quia licet animam eius non lædat, honorem tamen, pacemq; & conscientie quietem lædit: idque totum interdum non potest aliquo remedio reparari: difficillimè enim honor restituitur, qui facillimè auferitur. Quamobrè idem S. Bernardus dixit: verbum quidem esse leue, quia leuiter volat; sed grauitur vulnerare: leuiter transire; sed horrendè vrere: citissimè animam penetrare, sed nō citò ab ea recedere: citò proferri; sed non citò reuocari: facile volare, ideoque facile interimere, auferens charitatem, quæ est animæ vita.

§. II. *Aduersus murmurationes.*

EX dictis licet cognoscere nequitiam linguæ *murmurantis*, ac de absente proximo male loquentis, præsentem verò laudatis. Et idèo murmuratores in scriptura sacra *bilingues* appellantur: quia vt plurimum sunt magni *adulatores*, qui *vna* lingua benè de proximo præsentem loquuntur, magnisque amoris indicijs eis blandiuntur & adulantur: *altera* verò lingua absenti obloquuntur & rancoris signis editis eundem vituperant, & contemnunt. Et vtrumque hoc, ait S. Bernardus, esse tanquam b *vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas Dei*, hominum scilicet *conscientias*. Et quamuis blandus adulator mala sit vulpes, pessima tamen est, occultus detractor, de quo dixit Ecclesiastes: *c si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*: nam èd tutius murmurationis virus effundit: quò minus ab eo, cui detrahit, cognoscitur. Et hoc nomine ictus eius in scriptura vocatur d *flagellum lingue*: nam quemadmodum flagellum retrò vulnerat dorsum, ita detractor vulnerat in absentia. Sed quisnà varios eius ferendi modos enumeret? frequentius hi solent esse in vsu: falsum testimonium in proximum dicere; aut occultum eius aliquod delictum, aut alium ignominiosum defectum, etiam occultum manifestare; aut virtutem eius aliquam negare; aut abiectè valdè de eo loqui; aut eius dicta factaue calumniari, in deteriore ea partem interpretando. Quæ murmurationes vt plurimum oriuntur ex generaliquadam hominum propensione, ad agendù de rebus aliorum, iuxta passionem quæ in proprio ipsorum corde prædominatur; idèoque cum magna animi sui oblectatione & voluptate de illis loquuntur. Nam (teste S. Gregor. Nazian.) *nihil hominibus suauius quàm aliena loqui, aliena curare: maxime si eueniat aliquo odio vel amore præueniri*, hoc est, si vel valdè sint propensi, ac diligant eos, de quibus est sermo; aut si odio illos prosequantur. Ex quo fit, vt *quatuor* præcipuè passiones linguam ad huiusmodi murmurationes laxent. Quosdam enim *odii* passio laxat, quemadmodum Phariseos odium in Christum D. N. impellebat ad murmurandum de eius factis, & multa falsa testimonia & blasphemias in eum proferendas. Alios incitat *invidia*, videntes socios suos in honore sibi præferri, & ad maiores dignitates exaltari. Sicut *Dathan & Abiron murmurarunt contra Moysen & Aaron*. Alij ob mala, quæ patiuntur, cum *ira* & impatientia conuertunt linguam suam in proximos, per quos talia illis proueniunt, quemadmodum filij Israel e *murmurabant ob incommoda & labores* quos in deserto sustinebant, & ob defectum cibi & potus. Denique cuiusuis rei nobis utilis & commodæ *cupiditas* efficit, vt

murm-

a Prou. 18. 8.
Eccl. 2. 15.Occultus
detractor.
Serm. 63.
in Cant.
b Cant. 2. 15

c Eccl. 10. 11

e Job. 5. 21.

S. Tho. 2. 2. 7.
q. 7.Alieni vltro
intendimus.Quatuor
fontes murmuris.
Odium.
Invidia.
Num. 16. 11.
Ira.
c Num. 11. 1
Psal. 58. 16.
Cupiditas.

f. Ioan. 12. 5.

Nemo vult
murmura-
tor videri.

2. 2. q. 72. a.

2. ad 2.

In 24. cap.
Prou.

Lib. 14. Mor.

c. 14. in id.

Prou. 23. 20.

Mutua-
facilitas
incommoda.

Epist. 1.

S. Tho. 2. 2.

q. 71. a. 3.

ad 2.

q. 1. 10. a. 3. 1.

In Mast. 20.

52.

In Num. 12.

10.

In Ca. 16. 37.

1. Vers. 35.

In Cap. 21. 6.

In Ca. 14. 23.

O. Luc. 4. 11.

murmuremus de quocunq; nos ab ea obtinenda impediēte, ita f. *Iudas cōtra Adagdalenum*, eō quōd non vendidisset unguentum trecentis denariis, qui in pauperes distribuētur, quorum partem aliquam sibi retinere cogitabat: Nec desunt vnquam murmuratori colores & astutia, quemadmodum ipsi Iudæ ad suā murmuratiōem alicuius virtutis specie contegendam. Et quādo esserit, se non tale quid dicere, vt de proximo murmuret; tunc maximē tanquam proditor murmurat, vt linguam suam maiori laxet libertate. Et hinc oritur, vt pestis hæc (vt notat Glossa) per totum genus humanum facile effundatur, illudq; inficiat, quo nomine magno exponitur periculo, eō quōd (S. Thoma teste) vix aliquis euadat, qui non in alioquo murmuret: à modico autem facile ascenditur ad multum; quia vnusquisque addit aliquid dictis ab alio. Eum in modum (ait S. Gregorius) quo solent homines mutua dare symbola, seipfos ita inuitantes, vt quisque cibum aliquem adferat omnibus communem. Et hinc oritur, vt mutuo sese homines interrogent de delictis aut defectibus occultis proximorum: siue *curiositate* ducti, aliorum vitas cognoscendi; siue vt argumentum habeant *murmurandi*: ideoque scientem aliquod alicuius arcanum, prouocant, vt infideliter agens, illud *reuelat*. Sed virtus *iustitie* potenter etiam execrandæ huic linguæ resistit, eamque mortificat, & eodem timore Dei reprimat; eō quōd eadem adferat incommoda, quæ prima; quia & ipsum *murmurantem*, & *audientes*, & ad id *incitantem* interimat; imò & ipsum, de quo murmuratur; ad cuius notitiam, vel citius vel tardius peruenit, oblocutio & murmuratio de illo habita.

QVAMOBREM (vt refert S. Clemens) solebat S. Petrus dicere: murmuratorem esse homicidam sui proximi; quemadmodum & S. Ioannes dicebat: *g. omnis qui odit fratrem suum, homicida est*; & quemadmodum, *h. omnis qui accipit gladium & aliquem occiderit, gladio peribit*: ita hoc homicidium suam etiam habet horrendam punitionem. Quid Mariam Moyses sororem effecit lepra candentem, quasi niuem apparere: *k. quid dirupit terram, vt aperies os suum: viuos deuorare: Dathan & Abiron cum tabernaculis suis, vt vini descenderent in infernum*; quid effecit, vt lignis egresso a Domino interficeret ducetos *l. & quinquaginta viuos*; quid produxit in ignis serpentes, quos Deus misit in populum, vt morderent & vterent Israelitas in deserto? n quid eosdem excludit a terra *m. lacte & melle manante*? an non *murmuratio* hæc omnia damna corporibus attulit: quanto ergo maiorem animabus adferet vastitatem; & quanto erit *pena* terribilior, cuius vel leue *vestigium*, horrendum aded attulit damnum *temporale*: & iure optimo supplicia huiusmodi sustinebunt detractores: nam qui *o detrahit fratris*, (ait S. Iacobus) *detrahit etiam legi*, prohibenti ipsam detractionem; nihili illam faciendo, aut malè de illa sentiendo, eō quōd prohibeat detractionem. Imò (vt ait S. Chrysostomus) etiam ipsam *Ecclesiam* in-

famat.

famat, aut religionem; cuius est membrum, & *Rempublicam* in qua habitat: nec ullus securum se existimat ab eius lingua. Quamobrem dixit Salomon, *p detractorem esse abominationem hominum*: omnes enim eum tanquam dedecus & opprobrium humani generis & iudicant, & detestantur; ut qui eos, qui cum ipso sunt eiusdem naturæ, ita inhonoret. Ac propterea addit: *time Dominum, fili mi & Regem: & cum detractoribus non commiscearis: quoniam de repente surget perditio eorum, & ruina eorum*, quando sit ventura, quis novit? fuge itaque improbam hanc societatem, ne suam tibi scabiem affricet. Time *caelestem ac terrenam iustitiam*; quò tuam refrænes linguam: & attende, re in DEI conspectu murmurare, *q cuius auris zeli (ait Sapiens) audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur*: Zelo enim magno ulciscetur detractorem, quam audit. Quod si de nullo murmurare auderes, aut ei detrahere etiam absenti, si eius parens, aut frater, aut aliquis magnus amicus adesset, qui facillè posset eius honorem tueri, & iniuriam à te illatam ulcisci: quomodo audes murmurare ac detrahere proximo in præsentia DEI viui, qui eius est pater & amicus, simulque iustissimus Iudex?

HIS considerationibus excitare te ipsum debes, ut verbis tuis sociam adhiheas *supremam Iustitia* virtutem, non permittens aliquam murmurationem siue magnam, siue parvam eis immisceri. Quod si aliquaudo impigeris etiam leuiter; statim eam pœnitentia intercipias, ne adolescat: cum in modum quo Dauid cum suis socijs in quadam spelunca latens, ad quam eius hostis Rex Saul solus erat ingressus, & cum socij ipsi suaderent, ut eum interficeret, cum id iustissimè facere posset; nunquam tamen ipse huiusmodi suasionibus annuere voluit; sed tantum *præcidit oram chlamydis Saul* silenti; & vel quod fecisset, *percussit ipsum cor suum*; hoc est conscientia ipsum reprehendit ac momordit, eò quòd ausus esset id facere. ut ex hoc discamus, (quemadmodum S. Gregorius perpendit) quòd iustus, si ex aliqua incuria honorem tangat sui proximi, etiam in re leui, statim à propria conscientia reprehendatur: nam cultello murmurationis aliquid abscondens de vestimento, quo ille se tegit, & quo integro manète, ille est in honore sibi ipsi abscondit aliquid de veste *charitatis*, qua tegebatur: & ita manet cum maiori dedecore in oculis DEI, quàm proximus in oculis *hominum*, & quamuis ipsius iusti proximus sit eius inimicus, ac possit liberè & absque periculo de eo murmurare, non tamen vult id facere, eò quòd ipsum aspiciat Deus; habeatque suum pædagogum, hoc est, *conscientiam*, quæ ipsum continet ac reprimit. Quamobrem ait S. Ambr. virum iustum etiam si Gygis anulum haberet, ut etiam peccans à nullo videretur, non tamen peccaret; quia non recedit à malo, propterea quòd homines illum videant, sed quia videt DEVS, & sua ipsius CONSCIENTIA.

p Prou. 24.
9. 21.

Detraçtio-
nis vltor
Dem.

q Sap. 1. 10.

Deus audit.

Cecidisti,
statim re-
surge.

1. Reg. 24. 5

3. p. Pastro,
admonit. 5.
Alteri ho-
norem, tibi
aufers cha-
ritatem.

Lib. 3. offic.
c. 4. & 5.
Iustus time-
Deum &
conscientiã.

Nolite tan-
gere Chri-
stos meos.
1^a Psa. 104. 15

Exod. 16. 8.
Deus punit
murmur
contra Su-
periores.
u Num. 12.
11.

Lepra iudi-
cij & vo-
luntatis.

2. 2. 9. 74.
a. 1. 3.

a Mat. 12. 25

b Eccl. 28. 1

SED multò adhuc plura (ait S. Gregorius) docet nos hoc Davidis factum, cum sui doloris & pœnitudinis eam causam adfert, quod Saul, cuius oram chlamydis absciderat, esset *Christus Domini*: vt intelligamus, quàm turpe sit, de Princip. & Prælati, qui *Reip.* sunt *capita*, murmurare; etiam si illi sint alioqui improbi: referunt enim ac gerunt vices ipsius Dei, qui dixit: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*, aut iniuriam eis facere; satis enim vobis esse debet, quòd illi mei sint, meumque locum teneant, vt nec eorù *personas*, nec vestes, hoc est, *opera & actiones*, nec quidem earum *oram*, hoc est illas, quæ magis sunt humanæ ac terrenæ, tangere audeatis: sed vt eorum officium ac dignitatem veneremini. Quod si murmuratio propterea fieret, quòd illi cum rectitudine & exactè suo fungantur officio, illa esset magis pernitiola, eò quòd cederet in iniuriã ipsiusmet Dei qui illud eis comilit: Et ita Moyses, & Aaron populo murmuranti dixerunt: *non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominũ*, qui nobis constituit hoc facere, quod vobis grave videretur, & murmuratiõis vestræ motiuũ est & argumentum. Quare ad ipsum Dominũ nostrum spectat murmuratiões in Prælatos punire, ad eorum honorẽ tuendum, vt tantæ subditis sint venerationi, vt nunquam audeant linguas suas in eos mouere, vt obloquantur, quemadmodum in alia occasione euenit, quando u *Maria & Aaron contra Moysen murmurarunt*: nam cum vterq; eiusdem murmuratiõis & culpæ reus esset, sola tamen Maria, quæ subdita erat, punita fuit: hoc enim nomine eius culpa & irreuerentia fuit maior. Aaronis verò culpam dissimulauit Dominus, eò quòd fratri suo Moyse dignitate esset par; ætate verò maior: ac propterea eius irreuerentia in Moysen fuit minor. Nec vacat mysterio, quòd pœna Mariæ fuerit *lepra*: significatur enim, subditos, qui de suis Prælati murmurant, maculatos esse proprii iudicij ac voluntatis lepra: si enim & iudicium & voluntatem superioribus subiecissent: nunquam os suum ad improbandum, quòd ab ipsis præscribitur, aperirent.

§. III. *Susurri & ineptæ delationes.*

TRANSEAMVS ad tertiam susurronum linguam, quæ tum completitur Tombia mala de murmuratiõne hætenus posita; tum maius adhuc aliud super addit. *Susurrones* enim, vt ait S. Thom. etiam sunt bilingues, sicut murmuratores; suntq; mali intermedij inter amicos: nam cum vtroq; gratiã in-eunt, & malè de altero apud alterũ loquuntur: vt sic mutquam illorum amicitiam dissoluant, & *fraternã obaritatẽ* lædant, quæ & ipsius *Reip.* & cuiusvis familiæ vinculum est, vt supra est dictum. Ac proinde qui discordiam in ea seminat, causa est ruinæ illius: nam (vt Saluator noster dixit) *a omni regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Et idem Ecclesiasticus prosequitur dicens: *b susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos comouit, & disperfit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diuisu de-*

destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, e domibus se suis, & a viris separavit, & prauavit illas laboribus, & fortunis suis, qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Hoc totum Ecclesiasticus, quod tamen multo plura complectitur, quam in ipso cortice appareat. Lingua enim tertia quod in se est, destruit regnum Dei, quod est iustitia, pax, & gaudium in spiritu sancto, conculcando iustitiam, & discordiam ac tristitiam efficiendo. Et ut Apostolus dixit: d malis suis verbis, quod in se est, contristat Spiritum S. Dei habitantem in anima fratris eius, & ex sua domo expellit. Cum enim e Deus sit charitas: & qui manet in charitate, in Deo maneat, & Deus in eo: qui laedit charitatem, in causa est, cur Deus habitationem suam deserat. Quomodo igitur charitas non detestetur linguam ad eam sibi aduersam, ut pro fine habeat ipsam omnino destruere? & quomodo Iustitia non exerat vires suas ad vlciscendum illatum forori suae damnum? & quomodo utraque soror non eam linguam detestetur, quam Deus summe detestatur: *sex* (inquit Sapiens) *sum*, quae odit Dominus, & *septimum detestatur anima eius*, hoc est: *eum qui seminat inter fratres discordias*, destruens Christianae eorum fraternitatis unionem. Estque admiratione dignum, quod cum inter illas sex numerasset, *homicidium*, & *falsum testimonium*, & alia grauiissima peccata, hoc posuerit *septimum* tanquam magis horrendum: eod quod destruat *charitatem*, quae cuiusvis communitatis est neruus. Sufficiens huius rei testimonium & probatio est primus ille *susarro*, qui post diluuium primus fuit in mundo, & seminavit in familia Noe Zizania: quam obrem in eam incidit maledictionem, quam Ecclesiasticus minatur: quemadmodum in proximo capite apparebit.

CAPVT XI.

QUA RATIONE REPRIMENDI ET CORRIPIENDI SINT DETRACTORES, & qui aliorum defectus sollicitè inquirunt: & quando liceat eos prodece.

D COMMUNE Reip. & familiae, & proprium tuum bonum, non satis est, quod os tuum ad male de alijs loquendum non aperias: sed quando loquendum est, prudenter ac dextre murmuraciones, & ineptas delationes, & verba quaecumque in proximos dici audies reprimere: respondendo pro illis meliori, quo poteris modo, idque ob tres titulos siue causas, quibus ad id teneris. *Prima* est, ut te ipsum immunè a culpa serues, nec ex aliena macula aliqua contrahas: nam (teste S. Th.) iustitia & charitas obstringunt nos ne huiusmodi murmuracionibus, & insularis cum aliqua approbatione, & delectationis indicio aures praebeamus, & ut studeamus eas cum comode poterimus, reprimere. Siquidem (ut S. Bernardus ait) non

c Ro. 14. 16.

d Ephes. 4. 30.

c loa. 4. 16.

Susurrones
odibiles
Deo.

f Prou. 6. 10.

Susurro
por Homici-
cida.Detra-
ctio
rem repr-
me.

I.

2. 2. 4. 73. A

4.
Ne in qui
neris.

Lib. 2. de cō-
sid. circa
finem.

a Ecl. 23. 28

Auditor de-
tractoris &
illum & se
corrupti.

b Prov. 25.
23.

2.
Teneris
murmura-
tioni corri-
gere.

c Mat. 18. 15
Apud S.
Tho. in ca-
sena.

3.
Proximo la-
so subue-
nire.

est facile statuere, utrum sit grauius malum: murmurare, & detrahere; an aures murmurantibus ac detrahentibus præbere, nisi enim essent aures aperta & parata, eos cum delectatione audire: illi nec os aperirent, ut linguam suam ad talia laxarent. Deinde is, quem eos audire delectat, prope est, ut eos in murmurando iuuet: quia ratione magis fit culpa illius particeps, quàm obrem dixit Ecclesiast. *a sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis: quasi diceret, caueas à lingua aliena, occludens aures tuas, ne mala eius verba per illas intrent: sed & linguam tuam propriam custodi, ligando illam, ne huiusmodi mala verba proferat.* Suadet autem primum *sepire aures*: quia quod per eas ingreditur, solet facile laxare linguam, ut similia ijs, quæ audit, respondeat. Præscribit autem modum *sepienti*, scilicet *spinis*; quæ & te & murmurantem pungat. Eius enim murmutationes spinæ tibi esse debent, pungentes & lacerantes cor tuum, ita ut te cogant sensum aliquem exprimere externum, quo alter intelligat, displicere tibi talia audire; ut & ipse etiam pungatur & vulneretur ex eo, quod loquitur, ne ulterius in lequendo progrediatur. Hoc voluit Sapiens significare, cum dixit: *b ventus aquilo dissipat pluuia & facies tristis linguam detrahentem*; ideoque cessare facit malorum verborum pluuia, quæ ab illa procedunt.

Nec solum hoc efficit charitas, ut immunem sese seruet à culpa, sed 2. accedit titulus, ut ipsum etiam *murmurantem* ab eadem eripiat, Deique offensionem impediatur, ac damnum, quod eius anima patitur, reparat: & hac ratione ostendit se cum tanquam verum amicum diligere magnaque in eum misericordia utitur, quem à sua eripit miseria: corripiens quodammodo illum tristi illo vultu; ut malum agnoscat, quod facit, aut blandè etiam monens, aut etiam cum aliqua asperitate reprehendens, si culpa id promeretur, & ipse reprehendens aliquam ad id habeat auctoritatem. In his enim casibus obligat præceptum Correctionis Fraternalis, quod Christus D. N. explicuit cum dixit: *c si peccauerit in te frater tuus, in tuo scil. conspectu, & contra te (ut S. August. declarat) corripe eum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, quem à peccato liberaisti. Et in hoc casu nominatim, etiamsi murmuratio sit contra proximum, est etiam contra te ipsum: non solum propterea quod iniuriam proximi debeas tuam reputare, sed quod te prouocet, ut eius, quam ille admittit, particeps efficiaris.

Huc accedit *tertius* titulus non minus insignis & egregius, ad reprimendas murmutationes ac detractiones, quo studeas tui *proximi* honorem, qui læditur, tueri eaque damna præuenire, quæ ex eis possunt in Rempublicam aut in familiam prouenire. Valde enim hoc est charitati solenne, ut alienam causam reputet propriam. Quare si tuum diligis fratrem: oportet, & in his occasionibus ita subsidium ferre, sicut velles tibi in eisdem constituto ab illo

ferri.

ferri. Quod si is, cui detrahitur; tuus sit *superior*, debes eius honorem ita propugnare, sicut bonus filius sui parentis honorem tuetur, & propugnat: quod si sit *minor* debes illi tanquam filio fauere; si autem est *par*, tanquam fratri & amico. quod nisi facias; prodis, te esse falsum, filium, fictum fratrem, aut valdè timidum amicum.

S. I. Declarantur predicta exemplo filiorum Noë.

QUA iam diximus, aliquam lucem habere possunt ex eo, quod euenit tribus filijs Noë, cum ipse a *bibens vinum inebriatus est*, & obdormiens super terram *nudatus* est indecèter: quod cum vidisset *Cham* minimus natus, tanquam degener & malus filius, cum debuisset parentem tegere, ei que non detrahere, potius eum irrisit, & accedens ad alios duos fratres *Sem*, & *Iapheth*, retulit quæ viderat, murmurans, & instar canis genitorem suum mordens; fratresque suos instigans, ad idem faciendum. At illi tanquam boni filij, patris nuditatem non solum alijs non manifestarunt, sed neque ipsi eam videre voluerunt, sed *imposito pallio humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt patris nuditatem*: vultus verò tristitia, quam murmuranti fratri ostenderunt, eius leuitatem & impudentiam represserunt. Pater verò euigilans, cum didicisset, quæ fecerat ei filius minimus, imprecatus est illi mala; Sem verò & Iapheth bona, eis benedicēs; & omnibus euenit, quod pater fuerat precatus. hæc est historia plena utilissimis documentis ad scopum, ad quem tendimus.

UT AUTEM à lapsu illo initium sumamus, qui murmuracionis ac irrisionis materia fuit: non sine causa scriptura diuina hanc Noë imbecillitatem commemorat, qui cum ad eum Sanctus esset ac perfectus, per quem Deus tot fecerat prodigia, ipsiusque filijs tantum contulerat beneficium, ut à diluuiio, qui reliquos homines submerferat, liberaret, eò tandem in senectute peruenit, ut in rem ignominiosam eiusque persona indignam incideret, scilicet in *ebrietatem*. Quæ licet in ipso culpa non fuerit, (vt ait S. Chrysostomus) sed ignorantia, aut incuria: eò quòd vini virtutem nõ esset expertus: est tamen signum eius, quod Prælati virisque valdè perfectis accidit. Hi enim iusta Dei permissione impingere aliquando solent, & in aliquos labi defectus: siue id accidat ex *ignorantia*, siue ex aliqua natura *imbecillitate*. vt sic in *humilitate* contineantur; nec ob sua egregia opera in aliquam veniant superbiam: simul verò eademque opera fit, vt maiores sint instar *lapidis hydi*, in quo minorum & inferiorum virtus deprehendatur.

DEGENERES enim filij, mali que subditi, sicut Cham, quamuis huiusmodi defectus occultè nouerint, statim illos publicè manifestant, irridentes suos prælatos, parentes, & superiores; de que eorum factis inter suos so-

a Gen. 9.21

I.

Deus permittit defectus in iustis.

Homo. 29. in Gen.

2.

Dua causa
murmuris.

Li. de Noë
& Av. c. 30.

Oratione
de Invidia.

Impij obser-
uans defe-
ctus.

3.

Eocl. 3, 12.

Lib. 25. mor.
cap. 15.
Boni defe-
ctus tegunt,
et si non a-
ment.

,,

,,

cios murmurantes. Quod ex *duplici* radice ordinarie oritur. Altera est, quod sicut Cham *oderat*, cur certè parum Noë parentem diligebat, idque fortalsè, propterea quod deprauatos eius mores asperius reprehenderet: ita mali subditi bonos superiores oderunt, & quemcumque in eis defectum notant: statim vindictæ cuiusdam causa illum promulgant: quasi dicerent attendite qualis sit ille, qui aded asperè me reprehendit: cum ipse maiori sit reprehensione dignus. Et hinc altera oritur causa siue radix, quod scilicet eam in suis nequitijs consolationem habeant, quod dicant etiam maiores in aliquos defectus incidere, quos propterea libenter manifestant vt proprii ipsorum defectus non ita prauis esse videantur. Perpendit hoc prudenter S. Ambrosius his verbis: *mens impia cum putat errasse sapientem, insultandum arbitratur ei, cuius sibi putat mores esse contrarios: & collatandum sibi, quod iusto viro neque eruditio ipsius profuerit, neque iustitia suffragata sit.* Si enim fortis & robustus labitur: quid mirum, quod labatur imbecillis? & si Prælati vel magister impingit: quis miretur impingere subditum & discipulum; & quemadmodum *vultures* (vt ait Sanctus Basilius) pratis odoriferis relictis, ad mortua cadauera graueolentia aduolant; & mulcæ non accedunt ad partem corporis sanam & integram, sed ad vulneratam & vlcerosam: ita deprauati homines non attendunt egregia & insignia facinora, quæ alij edunt; sed vilia, & contemptibilia facta in quæ nonnunquam incidunt. Ideoque si superior & iustus aliquis in aliquo erret, aut impingat: (hominum enim est errare & impingere) id statim manifestant, de eo murmurant, oprantes vt propterea vilescant & contemnantur. Boni autem subditi ad imitationem Sem & Iapheth linguas detestantur maledicas, & murmurantes, etiamsi vera narrent: & ostendunt se valdè ægrè ferre talia audire, ob amorem & reuerentiam, qua suos maiores prosequuntur, memores illius Ecclesiastici sententiæ: *ne gloriaris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria eius confusio.* Et quoniam Prælati sui iniuriam, reputant propriam, licet eorum culpa non placeat: eam tamen student cooperire pallio *charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.* Ita Sanctus Gregorius moralia documenta ex hac historia deducens ait: quemadmodum filij Noë, dorso ad patrem suum verso, eius operuerunt nuditatem: ita boni subditi suorum superiorum defectus improbare debent, vt eisdem studeant occultare: nam operimentum (inquit) auersi deferunt, quia improbantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt, tum ne, si illud videant, ad imitandum excitentur; tum ne, si manifestetur, alij habeant, quod irrideant. Talis fuit spiritus magni illius Constantini Imperatoris, cui in Concilio Niceno multi Episcopi memorialia obsignata obtulerunt, querelas mutuas continentia (quæ sæpè non aliud continet, quam

mur-

murmurationes ac detractiones proprijs offerentium manibus subscriptas) quæ tamen ipse legere noluit; sed obſignata vterant, proiecit in ignem, ſententiam illam tali principe dignam proferens: Sacerdotum vitia non ſunt populo promulganda; ne, eis cognitis, liberius peccandi occaſionem accipiant: & ſi viderem, inquit, meis oculis Episcopum aliquem fornicantem, ego ipſe meo pallio illum operirem, ne tale peccatum conſpectum aliquod alijs ſcandalum adferret. o charitatem pectore verè Chriſtiano dignâ: quæ peccatoribus non fauens, ipſa peccata occultat, ne malo odore alios inficiat; nec ipſi famam ſuam amittant; ſed nomen ſeruent bonum, ne in maius aliquod detrimentum prolabantur. Ac propterea ait S. Hieronymus, Chriſtum D. N. iuſſiſſe correctionem in primis debere eſſe occultam, eò quòd amiſſa ſemel fama & pudore diutiùs hareatur in culpa.

§. II. In duobus caſibus manifeltandos eſſe occultos aliorum defectus.

NON eſt tamen parui momenti difficultas in eo, quod Sacer textus in eadem hiſtoria refert, quòd a *cuſgilans* Noë ſtatim didicerit, quæ fecerat ei filius ſuus minor. Nunquid enim reliqui duo filij Sem & Iaphet ſtatim murmurantes patri retulerunt, quid Cham feciſſet? quod ſi ita fuit, cur non pallio chatitatis cooperuerunt factum fratris ſui, ſicut turpem patris nuditatem operuerant? nam ſi ipſius Cham peccatum fuit graue, quod patrem ſuum irriſiſſet, & occultam alioquin nuditatem manifeſtaſſet: etiam videtur graue peccatum Sem & Iapheth, quòd de ſuo fratre murmurantes, eius delictum etiam occultum propalauerint. Et quemadmodum Cham deliquit volens filiorum amorem erga parentem imminuere: ita duo illi fratres peccaſſe videntur imminuentes patris amorem erga ſuum filium, etiam ſi improbum, quem nodum vt ſoluamus, neceſſè eſt aduertere: non eſſe parem rationem, ſi occulta ſuperiorum delicta ſubditis manifeſtetur; & ſi ſubditorum ſuperioribus. nam primum, quoniam ordinariè loquendo non habet cauſam & rationem, qua iuſtificetur, erit contra iuſtitiã & charitatem, quæ iubet, illa potius occultare: ſiquidem ad ſubditum nõ ſpectat ſuperiorem ſuum corrigere, aut eius delictis remedium adferre. Quod ſi aliquando id facere opus eſſet, debet (vt ait S. Thomas) id fieri occultè, reuerenter ac demilſè. Sed quoniam ſuperiores ſunt tanquam patres quibus incumbit, ſubditos tanquam filios corrigere, eorumque ſpiritualia damna reparare; ac ne in ea incidant, proſpicere & providere: in hunc finem licet ſubditorum defectus etiam occultos illis manifeſtare, nec cenſenda hæc eſt murmuratio aut detractio, ſed actus veræ charitatis: quæ (vt idem S. Doctor ait) ſæpè ad id obligat, ne vlcus occultatum putrefcat,

*Conſtanti
Magni cha-
ritas.*

*Correctio ſi
occulta.
In Mar. 18.*

a Gen. 9. 24.

*Superiorum
defectus ce-
landi.*

2. 2. 9. 32. 4.

*Inferiorum
manifeſta-
ti.*

2. 2. 9. 32. a.
7. 3. ad 2.

b Gen. 37. 2.

Ordo corre-
ctionis ser-
uandus.

Supra.

c Mat. 18. 15.

Serm. 16. de
verbis Dom.

N. si proditor.

Ne sis vel
murmur si
vel nil pro-
ficeres.

trescat, & eo laborantem occidat: & minus malum est subditum paruum aliquam honoris iacturam facere, quam persistere in periculo, animæ iacturam faciendi: aut quod hac occasione commune bonum, quod est particulari pretiosius, lædatur. Non fuit murmurator aut inanis delator Ioseph, b *cum accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo*: non enim ad id faciendum inuidia aut odium illum induxit: sed zelus honoris patris sui, qui filiorum delictis imminuebatur, & zelus boni domus suæ, quæ tali peste infici potuisset: zelus item salutis fratrum suorum qui damnationis periculo exponebantur: ac denique zelus impediendi peccata, quæ cum Dei iniuria fiebant: nec aliud occurrebat medium illa prohibendi. Hæc omnia motiua & causæ sufficiunt, ad secreta inferiorum delicta superiori & patri, qui remedium adferre possit, manifestanda, cum nos remedium adferre non possumus. Eadem autem causæ in Ioseph fuerunt actus excellentis charitatis, cum insigni animi fortitudine: nam sibi persuadens, quod fratres hanc ob causam ipsum essent odio habituri, ac vexaturi, voluit potius in hæc temporalia damna incidere, quam prætermittere, qua ratione posset spiritualia fratrum suorum damna reparare: merito tamen existimare licet Sanctum hunc virum seruasse naturalem fraternæ correctionis ordinem, monendo primum, vt ait S. Thomas, fratres suos occultè, vt respicerent, se seque emendarent: hac enim secreta admonitione, quando delictum est occultum, non præcedente non est æquum alienos defectus manifestare, iuxta regulam à Christo D. N. præscriptam, dicente: *corripe fratrem tuum inerte & ipsum solum*, nullis scilicet adhibitis testibus delicti illius ignaris. Nam (vt Sanctus Augustinus ait) si tu solus es delicti conscius, quia in tua præsentia est admissum, & illud absque necessitate alijs manifestas non es correptor, sed proditor; nec ira curabitur, sed potius ruet in deterius; pudor enim, quo tunc afficitur, eum impellet ad culpam admissam defendendâ; ac proinde illa augebitur, aut diutiùs in illa hærebit. In duobus tamen casibus licet superiori tanquam patri primum referre quando scilicet aliquis delicti rumor spargitur: aut quando merito existimamus nostram correctionem parui momenti futuram ob peccantis furorem & paruum corrigentis auctoritatem. propter quas causas credibilis est, Iosephum non monuisse fratres suos vt qui sciret furiosam illorum conditionem, & exiguum, quem erga ipsam ostendebant, amorem; ac denique ob exiguam, quam minor natu apud eos haberet auctoritatem. Ob quas easdem causas credibile est, duos filios Noë ipsi manifestasse fratris sui Cham impudentiam, vt illū corrigeret, & tanquam pater reprehenderet; prauorumque eius morū torrentē retineret, & ipsam irrationē & contemptū quæ erga omnes exercebat, reprimeret. Neque tamen quæ dicta sunt efficiunt, vt quæ-

do de-

do delictum est contra ipsummet *superiorem*, prudentiæ cenleatur aut tutum, illud ipsum ordinariè referre, propter occasionem, quæ illi datur indignationis in subditum; & vt ipsam correctionem in vindictam propriæ iniuriæ conuertat. Ideoque certius esse existimo: Sem & Iapheth non sponte sua parenti retulisse detractionem & irrisionem fratris sui Cham; sed coactos auctoritate ipsiusmet Noë, qui euigilans è sumno, cum se nudum & pallio filiorum coopertum aduerteret, eos vocauit, & quid gestû esset, quaesuit, ita vt non potuerint illud ei occultare. Nam quando superior sufficiëntia habens indicia inquisitionem instituit de delictis, non licet ea illi occultare, etiam si ex tali reuelatione damnum alicui sit prouenturû. sicut in hoc casu euenit; siquidem ipsa Scriptura Sacra dicit: *Noë cum didicisset, quæ fecerat ei filius minor, maledixit ei, non spiritu vindictæ, cum ipse esset vir perfectus; sed prophético, prædicens, quæ in pœnam illius criminis illi essent euentura: vt scilicet ipse & genus eius seruus esset seruorum fratribus suis: alijs verò duobus benedixit, prædicens præmium quod essent à Deo accepturi ob zelum, quo patris sui nuditatem operuerunt. Quæ omnia figura quædam sunt eius, quod in his casibus est hominis proprium, & Dei, qui tanquã Iudex illis assistit. Homo enim naturali suæ propensione relictus, non aliud nouit, quã sibi maledicenti maledicere; & ultionem exoptere de eo, à quo iniuriam accepit contra verò, benedicere benè de ipso loquenti, eumq; in honore haberi velle, à quo honorem accipit & fauorem. At Deus D. N. spiritu iudicis vtrumque præstat, nã & murmurantes punit & defendentes eos; qui iniuriam illam patiuntur, remunerat. Ex quibus duobus frenum tibi & calcar conficere debes; *frenû* quidem, vt linguã tuam contineas, cû uolueris Cham vestigia sequi; *calcar* verò, vt eandem extimules ad imitandum Sem.*

§. III. *Contra indiscretas Interrogationes.*

HINC discas, qua ratione respondere debeas imprudentib; ac temerarijs interrogationibus, quæ sunt quasi murmurationum seminariû: seruanda. n. tibi est Regula Salomonis, *a ne respondeas stulto iuxta stultitiã suã, ne efficiaris ei similis. responde stulto iuxta stultitiã suã, ne sibi sapiens esse videatur. Quæ duo* consilia etsi videantur mutuo sibi aduersari, respondere scilicet & non respondere stulto iuxta stultitiã suã: at reuera non aduersantur, sed valde sibi sunt conformia ac discreta: nam stulto stultè interroganti, respondendum non est iuxta ipsius desiderium: id enim esset stultitiã eius imitari; & culpæ participem fieri. Si enim curiosè te interroget de arcano ab amico tuo tibi cõmisso; aut de occulto proximi delicto, non debes illud manifestare: ad eò. n. esset stulta & iniusta responsio, atq; ipsa interrogatio fieret enim contra Sapientis sententiã, dicentis: *b qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autè fidelis est animi, celat amici commissum, aut occultû eius*

Murmur in superioribus: s; s; s; nã facile reuelat.

S. Tho. 2. 2. q. 99. a. 1. q. 70. a. 1.

Pena murmurantis, præmium impediens.

a Pro. 26. 4.

b Pro. 11. 13.

Stultore-
spondendū
& non re-
spondendū.

Ioan. 21. 22.
Act. 17.

S. Tho. 2. 2.
470. q. 1.

Interroganti
male, licet
aquisuocē re-
spondere.

c. Luc. 22. 23
d. Ioā. 13. 25

Christus Iu-
dam quan-
do revela-
uit.

delictum. Et similiter. si interrogationes fiat de rebus inanibus, aut noxijs non licet illis respondere: ne praua illius colloquia foueantur. Sed in his casibus debes stulto respondere iuxta ipsius stultitiz meritum, ne in ea perseueret; sed opinionem muret, qua existimabat se non errare; aut, si sciens & volens errabat malitiosè, sese emendet: dicendo illi V. G. occultos proximi defectus manifestare non licet, etiā si fortè aliquos habeat: sicut non vellemus nostros ab alijs propalari: quæ respondēdi ratio præcipuè spectat ad eos, qui auctoritatem aliquam habent ad docendum & corrigendū: quemadmodum Christus D. N. non respondebat curiosis suorū discipulorum interrogationibus, illorū desiderio satisfaciendo; sed illud potiùs reprimēdo.

DENIQVE in his casibus seruari potest regula, quam Doctores tradunt reo, vel testi interrogato de secreto proximi delicto, ab eo qui non est iudex; aut à Iudice non habente indicia sufficientia, vt iuxta Iuris ordinem eū auctoritate interroget: quia non interroganti iuridicè non licet occultū crimen manifestare in alterius detrimentum. Quod si iudex vrgeret, & ad respondendum compelleret, potest respondere, se nihil tale scire: ita tamē, vt respondens in mēte sua intelligat, se illud nescire, vt manifestet; nec eo modo, quo aperire illud possit: quemadmodum solent Confessarij respondere ad similes interrogationes de rebus in Confessione auditis: licitus enim est hic modus respondēdi, quando ad occultam veritatem non manifestandā est necessarius; nec alia via est eandem occultandi. Nec tamen propterea cōsensus est mendaciū: cum verba menti respondentis sint conformia: quāuis non sint talia iuxta mentem interrogantis: qui tamen dignus est tali deceptione, eò quod contra rationem & iustitiam interroget.

SEDENE prætereamus silentio documenta illa; quæ Christus D. N. in nocte vltimæ cenę suę nobis reliquit, cum Apostoli quærerēt inter se, *quis ex eis esset*, ipsum Christū traditurus: & cū S. Ioannes à S. Petro monitus, ipsum Christū interrogauit, *quis ille esset*. Nā licet benè ipse Christus nosset, delictum illud paucas post horas fore manifestandum: noluit tamen omnibus Apostolis ipsum proditorē indicare, vt illo silentio turbationes euitaret, & bono ipsius Iudæ nomini breui saltē illo tēpore cōsuleret, donec ipsemet detestādo suo opere se ipsum infamaret: sed occulto tamen quodam indicio S. Ioāni proditorē indicauit, quia eius interrogatio nō ex indignatione, aut curiositate; sed ex *compassione* & charitate oriebatur: neq; ex priuata illam sinuatione detrimentū aliquod sequebatur; sed vtile potiùs fuit: quoniā S. ipse Ioānes historiā illā erat conscripturus: expediebat verò in ipso Euāgelio exprimi quidquid Christus D. erga infelicē illū discipulū egisset, vt ex illo exēplo disceremus prudentiā & cautelā ad respondendū huiusmodi interrogationibus, etiā cū fiūt de reb. quæ paulò post sunt aliās futuræ mani-

f. str.

felix: seruando scilicet secretum, bonumque proximi nomen, quamdiu is manifesta sua culpa illud non amittit: aut ad ipsius vtilitatem expedit, illam manifestare; aut denique quando finis aliquis sanctus adest, cur reueletur. vt supra est dictum.

CAPVT XII.

VARATIONE SE GERERE DEBEAT IS, QVEM
 alius laudat aut calumniatur: & quando expediat ipsis calumniantibus
 & murmurantibus rationem de rebus suis addere.

AD perfectionē nostrā nō satis est linguā nostrā ita benē refrenare, vt neq; in *adulationis*, neq; in *murmurationis* contra alios extrema declinet; sed necesse etiam est nosse similibus verbis vti, quando alij eadem pro nobis dixerint, aut contra nos: ordinariē: n. nō desunt in mūdo duo persecutores, quos S. Aug. *adulatores* ac *detractores*, appellat quorū lingue grauius sēpē nos persequūtur, quā manus & gladij homicidarū, eorū enim opera dē mō ad iustos oppugnandos & expugnandos vtitur: nā laudib. & adulationibus eos deiciūt in *superbiā* & inanē gloriam; murmurantibus verō & calūnijs in *impatentiā*: propterea (ait S. hic Doctor) constituit Deus D. N. vt ipsius Electi *utrumq;* hoc genus probationū & tentationū experiātur, quib. purificētur, magisq; in virtutibus perficiātur: quis. n. existimaret, laudationes esse *ignem* ei qui laudatur, nisi Spiritus S. dixisset: *quomodo probatur in cōfatorio argenti, & in fornace aurū: sic probatur homo ore laudantis*. Caminus est os; gnis verō *laudatio*, in quē ingreditur *virtus* laudati: quæ, si sit *imperfecta*, nec benē radicata, tota euaneſcit in *ſumum* vanitatis, & *ſcoriam* delectationis terrenæ, & *ſtammū* solius speciei externæ si autē virtus est *ſolida* benēq; radicata, purior euadit ac splēdidior. Perfectus. n. nihili ducit humanas laudes, benē sciēs, se nō aliud esse, quā sit coram Deo; & si quid boni habet, id nō suū esse, sed Dei; cui laus & gloria rota debetur. His addit S. Gregorius explicās hunc locū, laudationē torquere bonos, exhilarare verō improbos: Sed dum bonos cruciat, eos quasi ignis purificat, & dū malos exhilarat: eos indicat esse reprobos; peccatores pascuntur suis laudibus, quia non sui creatoris gloriam querūt, sed iusti, qui eā querūt, cruciantur illis, timētes, se fortē intus nō habere, quod exterius audiūt de se: quod si fortē habēt, timēt eius iacturā, dū laudes suas audiūt; aut ne illud sit *præmiū* suæ virtutis, quod esse deberet *calcar* ad proficiendū & perseverandū in ea: ne etiā Deus illam remuneret in hac vita bono illo nomine, quod sua virtute consequuntur: & hoc sancto timore laudes suas audire horrent: ideoque nullum ex eis detrimentum accipiunt.

Duo perſe-
 cutores.
 In id ps. 69.
 Euge. Euge.

Prōu. 27. 21.

Laus probat
 virtutem.

Lib. 6 mor.
 cap. 2.

c 6

c 6

Laus tor-
 quat bonos,
 recreat ma-
 los.

c 6

Ex hoc igne transeunt Iusti ad alterum calumniarum & *murmurationum* contra se: quemadmodum enim os laudantis ignis est, in quo probatur ipse laudatus: ita os murmurantis est, ignis in quo probatur is, de quo murmuratur, de quo igne dixit Ecclesiast. *b. homines receptibiles probari in camino humi- lationis.* valde. n. rigide & exacte virtutis gradus examinat & probat: debilis & imperfecta solet dissolui, & in fumum tristitia, impatiencie & anxietatis couerti: quæ in graui interdum peccata hominem pertrahunt: si autem firma sit ac perfecta, purior efficitur tolerantia, emittitque ex se maiores sanctitatis splendores. Cum igitur omnes (vt S. Augustinus ait) hos duos ignes ingrediuntur, vt ex eis incolumis euadas, danda tibi est opera, vt exitus bonus sit, sicut fuit ingressus, oras Deum D. N. (cuius ait Dauid esse *c. custodire intro- itum exitum* & nostrum, vt quemadmodum sanus & integer fuisti ingressus: & ita integer prodeas ac perfectus: cum enim sis vas fictile, facile, vt supra est dictum, confringeris ob tuam debilitatem, nisi a diuina gratia fias solidior.

ET HINC prouenit, quod prouidentia diuina (quemadmodum S. Gregor. perpendit) ad maiorem electorum suorum securitatem, constituit hos duos ignes mutuo sibi succedere: vt alter damnum reparet, quod alter intulerit: ita vt si laus nos erigit ac reddit inanes: calumnia & contemptus deiciat nos & humiliet: & si hic tardiores nos ac timidiores reddit, illa nos foueat & animum addat: eum in modum, quo arbor diuersis temporibus a veteris & contrariis impellitur, quam si vnus ad alterum latus inclinat, alter inclinat in contrarium, & ita remanet recta: ita iustus a *laudibus & contemptibus* oppugnatus robur acquirit, & firmitatem, ambulans, vt ait Apostolus, *d. per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam*, animo quodam his omnibus euentis superiori, vt in primo Tomo fuit explicatum exemplo Noemi & Ruth: quæ aduersitatum ac prosperitatum vicissitudine magnam in virtutibus constantiam acquisuerunt.

§. I. *Rationes vincendi in hisce conflictibus.*

Opera pretium est tamen *duas* vias hic ostendere vincendi in his congressibus: altera enim est *silentii perfecti*, cum talia audiuntur: altera *precedentis responsionis*. Silentium oriri debet ex humilitate cordis, non agnoscentis in se aliquid laude dignum; multa verò digna contemptu. Debetque huius humilitatis indicium aliquod exterius in vultu ipso apparere, aliter tamen atque aliter. Nam laudes audienti, tristitia est preferenda: vt appareat te illas illibenter audire, atque ita progressus in eis impediatur: si enim eas audire delectet, statim (vt S. Gregorius ait) illa crescent: pergunt enim adulatorum in eis referendis, vt te recreent: & sensum cor tuum emolliant; & rigorem, quem in boni rectique prosecutione adhibebas faciant relaxari.

quam-

b. Ecol. 2. 5.

*Murmur
probat pati-
entiam.
Supra.*

c. Ps. 120. 8.

*Laus &
contemptus
alternis nos
iuuant.*

d. 1. Co. 6. 2.

*Laudes tuas
tristitia
reprime.
Hom. 11.
in Ezech.*

quamobrem oportet eas statim retundere, tibi que ipsi interne dicere illud
 Dauidis: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, Euge*, hoc est
 exurge, lætare, & gaude ob gregia tua facta: his enim inanibus verbis me in
 vanam gloriam & superbiam inducunt. Caue itaque sis hominum huius se-
 culi imitator, qui ad inanes huiusmodi laudationes respondere solent ver-
 bis valde inhumanis, in signum gratitudinis, quo ostendunt, eas sibi arridere.
 Nunquam enim laudantis manum oscularentur, nisi propriam prius essent
 osculati, complacentes, sibi inaniter ex auditis proprijs laudibus, contra id
 quod S. Iob de seipso dixit *si osculatus sum manum meam oro meo*, quasi inani-
 ter mihi complacens in rebus meis, eas laudans, aut libenter audiens ab alijs
 laudari. In qua re vir ille sanctissimus raram suam eximiamque virtutem o-
 stendit: Nam (vt S. Augustinus ait) licet facile sit laudationem ex rebus no-
 stris non querere, quando negatur: difficillimum tamen est, cum eadem
 sponte offertur, non gaudere, & S. Chrysostomus de seipso fatetur: quando
 auditores laudabant eius Conciones, pati se solitum, quod humanum est
 congaudendo cum illis: licet sit credendum, id non fecisse, quasi audiendis
 suis laudibus delectaretur: sed ob vtilitatem & profectum ipsorum audito-
 rum, & ob gloriam Dei, quæ ex eo oriebatur.

QUANDO autem in eisdem casibus est loquendum, maiori opus est pru-
 dentia ac discretione: adulatores enim oportet asperè reprehendere, si ali-
 quam in eos habes potestatem: quemadmodum Christus Dominus noster
 acriter Phariseos reprehendebat, cum aliquam in faciem ei dicebant adula-
 tionem: *Quid, inquit, me tentatis hypocrita: & cuidam, qui (vt S. Thomas per-
 pendit) per adulationem vocauerat: g magistrum bonum, respondit: quid me di-
 cis bonum: vt intelligeret se tam procul ab adulatione dicenda esse debere, at-
 que ipse erat ab audienda. Quando autem laudans rectam habet intentionem,
 repellendæ sunt laudes humilibus veris que rationibus: non vt in laudando
 pergat, sed vt, quis tu sis, agnoscat, quemadmodum S. Gregorius respondit
 S. Leandro, à quo ob perfectam & exemplarem suam vitam laudabatur.
 Volo, inquit, verbis tibi respondere bonæ cuiusdam mulieris: *h ne vocetis me
 Noemi: id est, pulchram, sed vocate me mara: id est, amarâ, quia amaritudine valde
 repleuit me omnipotens. Ne existimes, vir venerabilis, me nunc eum esse, quem
 antea noueras: quamuis enim in exterioribus creuerim ob dignitatem, inte-
 rius tamen in spiritu valdè decreui, & consueque perueni, vt sim vnus ex illis,
 de quibus scriptum est: *deieci eos cum eleuaretur. Ille, cum est eleuatus, cæ-
 setur deiectus, qui ascendens ad dignitates, descendit in moribus. Hæc S.
 Gregorius, ex quibus apparet, verè Humili nunquam deesse rationes, elu-
 dendi laudes, quas de se audit. Et huiusmodi rationes sunt, quas Dauid ap-
 pellat *ksagitta parentis acutæ, & carbones desolatorios*, quos potens ipse Deus***

c Psal. 39.
 16.
 f Iob. 31. 27.
 Gless. in 1.
 Thes. 2.
 S. Tho. 2. 2.
 q. 132. a. 1.
 arg 3.
 Hom. 38. ad
 popul.
 Laudes non
 querere fa-
 cile, non ad-
 mittere dif-
 ficile.
 Adulator
 corripien-
 dus.
 f Mar. 22. 16
 g Mar. 10. 17
 Luc. 18. 16.
 Eccl. 19. 23.
 Lib. 7. Epi.
 25.
 h Ruth. 1. 20
 c c
 Laudibus
 nostris pru-
 denter re-
 spondendū.
 c c
 i Psal. 72. 8.
 c c
 c c
 k Psal. 119. 4.



Non ita lau-
dantur, ut
infantes.
Ruth. 2. 10.
3.

confert contra adulatorias & fraudulētas linguas. Quod si in virtute sis No-
uicius & Tyro, audias que tuos maiores te laudantes; id cum vera humilitate
debes magnæ tuæ imbecillitati adscribere; & necessitati, qua tanquam in-
fans aliquis huiusmodi fomento indigeas, eum in modum, quo humilis illa
Ruth audiens laudari se à Booz, cadens in faciem suam & adorans super ter-
ram, dixit: *Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, &
locutus ad cor es ancilla tua, qua non sum similis unius puellarum tuarum*: quali
dixerit, prudentia tua ob magnam meam imbecillitatem huius laudationis
tuæ causa est, quamuis ego sim eius indigna.

m Prov. 2.
21.
Si male egi-
sti, dolo.

E I S D E M duabus vijs vtendum tibi est, cum te aliquis verbo *contempserit*,
aut contra te murmurauerit. Aliquando tacendo, aliquando verò loquen-
do; semper tamen cum humilitate & serenitate vultus: quamuis enim in
linguam alijs *detrahentem*, *facies tristis* sit ostendenda, vt illa aduertat, te hor-
rere, talia audire; & ea ratione illam *dissipes*, *quemadmodum ventus Aquilo dis-*

n Tob. 33. 27

sipat plumas: in eas tamen murmuraciones, quæ te tangunt, præstat non o-

Si bene,
perge.

stendere huiusmodi signa tristitiæ, & impatientiæ ob tuum contemptum.

o Luc. 7. 39
o c. 10. 40
o Ioan. 12.
7.

Et si reuera sint de materia mala, cuius tu sis tibi conscius: æquum est, te e-
ius pœnitere; ac dicere intra te ipsum (vt habetur in libro Iob) *in peccatis*

p 2. Reg. 6.
16. 21.
Tract. 4. c. 2
Gauden-
dum de
contemptu.

vere deliqui, & vt eram dignus non recepi: quare hanc pœnam & iustam esse
existimabis, & à Deo tibi missam, vt à culpa expurgeris, & vitæ emendandæ
studeas. Quod si materia sit bonum aliquod opus tuum, tacendum tibi est,

non tamen opus omittendo: sed tuam defensionem, Dei prouidentia com-
mittendo, qui huiusmodi calumnias sustinentes tueri solet: quemadmodum
Christus Dominus noster o *Mariam Magdalenam* ter defendit ab eis, & à
boni, quod præstabat, murmuracionibus. Quod si aliquid sit dicendum, id
fiat, confirmando cum humilitate bona tua proposita, eum in modum, quo
Dauid uxori suæ Michol murmuranti, ipsum irridenti p *quod coram Domino*
saltaisset, ipse respondit, se ipsum magis humiliando & contemnendo, vt po-
stea videbimus: Et sic ei silentium imposuit. Sic enim quadam valde occul-
ta & gloriosa ratione triumphum ages de tuis calumniatoribus, si ostendas
te de tuo contemptu gaudere, aut fatearis te dignum esse, qui sic contem-
naris; quemadmodum ad finem Tractatus præcedentis fuit explicatum.

§. II. Superiores contra se ortas murmuraciones
impedire & amouere tenentur.

SUPERIORES tamen in huiusmodi casibus possunt, ac verò inter-
dum debent, facti sui rationem reddere, vt murmuracionem contra
se ortam impediunt, & amoueat scandalum, ne impingant ignorantes,
qui

qui non intelligentes causam & motiuum ipsius, eum damnant & conquerruntur; quemadmodum fecit Pater ille familias, contra quem murmurabāt operarij, qui tota die in ipsius vinea laborauerant, eò quòd iussisset eandem mercedem ijs operarijs reddi, qui vna sola hora laborauerant, nam statim atque ad eius aures peruenit murmur illorum, vocatum ad se eorum vnum valde blande corripuit, dicens: *a amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi: aut non licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et hac insigni prudentia querelas dissoluit murmurantium, insinuans eis quam immeritò conquererentur; & iniuriam, quam ipsi inferebant; & incommodum, quod proximo suo inferre tentabant; ac denique grauitatem peccati ipsorum, cuius morbi radici aptum antidotum applicabat: id enim significat illud, quod adiecit: *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* quali ei dixerit: attende, quod ex mea liberalitate acceperit oculus tuus occasionem, vt esset temerarius, cupidus, & inuidus boni proximi tui: *temerarius*, inquam, fuit, eò quòd iudicaueris, me acceptatorem personarum, & iniustum, eò quòd pro labore inæquali mercedem dederim æqualem: sed in hoc deciperis, nam ex meis facultatibus licet mihi elemosynam facere, & gratis dare, quod non debetur ex iustitia. Adde, quòd etiam in hoc es temerarius, cùm iudicas proximum tuum, minus te laborasse ob temporis, quo laborauit, breuitatem: nam plus ipse laboris perfecit in vna hora, ob eius magnam diligentiam, quàm tu feceris in duodecim, ob tuam in laborando ignauiam. Est etiam oculus tuus *cupidus*: quia non es tuis contentus, sed etiam, quod tibi non debetur, concupiscis, exigēs quasi ex iustitia, quod labore tuo non es promeritus. Ac denique es *inuidus*, cùm doleas de bono tui proximi, ac de gratia quam ego illi feci. Cùm potius ex hoc ipso deberes gaudere: siquidem nihil ex ijs, quæ tua sunt, propterea amittis, quod ego illi ex liberalitate dem quod meum est, quòd ipse detestatur, & bene habeat. Cogita igitur, te sine causa irasci, pacem amittere, alios turbare, ac zizania in familia mea seminare: cùm meritò attendere debuisses, me tibi nullam iniuriam fecisse, eò quòd aliquid dederim tuo proximo; sed te potius mihi iniuriam facere, eò quòd de me murmures. Sed ego iniuriam hanc tibi ignosco, reddoq; quod debeo, non me vliscens de murmuratione, & querela, quam de me immeritò habuisti.

Hoc est exemplar quod Christus D.N. in hac parabola nobis proponit, vt in ea videamus murmurationis malitiam, radices, ac damna; & simul Prælatorum dexteritatem in ea curanda, nō tam ad suum honorē tuendū, & eius, quod fecerunt, rationē reddendam, ne iniusti habeantur: quàm ad pacem in sua familia seruandam, & culpam, damnaque ab ea prouentura, impediēda.

SED

Mat. 20.
13.

*Temeritas
murmurantis.*

*Cupiditas,
Inuidia.*

Non omnes
sed capita
factionum
arguenda.

SED ne silentio prateramus causam & motiuum patrisfamilias, cur nō omnes simul operarios, quorum tamen multi murmurauerant, corripere sed vnum tantum seorsim voluerit. Voluit enim nos docere modum & rationem in his correptionibus seruandum, quamuis non semper sit eadem: nam in Communitatibus semper inter reos sunt aliqui innocentes, & omnes in genere reprehendere. solet esse afflictionis & desolationis occasio i-
p̄s innocētibus, cū se vident inter reos haberi. Ac propterea magna cū prudentia paterfamilias vnum accepit seorsim, qui murmurationis caput esse videbatur, aut insolentius in ea se gesserat: & hunc corripuit, & magis in particulari reprehendit: ita tamen vt omnes peccati complices eisdem rationibus conuicti remanerent, & corrigerentur. Et sic reliqui, qui innocentes erant, peccati manserunt, suæ innocentiae conscij, cū viderent, se non esse de illa culpa notatos, & ipsa Communitas manet in suo honore, cū in ea plures innocentes esse intelligantur.

Aliquando
expedit ar-
gui commu-
nitatem.
b Mat. 26. 10
Ioan. 12. 11

SED aliā prudentia tenet aliam viam quæ monens ipsam communitatem de culpa, vt emendationem obtineat, quam intendit; corripit omnes, qui in ea sunt, etiam si pauci sint rei: eō quod nec eos nominare; neque admonitionem & correctionem pratermittere expediat. Et ita eos cum multis alijs corripiendo ipsi corriguntur, non punēti nominatim: ipsi verō innocentes ex eo redduntur cauti, ne in huiusmodi peccatum incidant. Cuius rei aptum habemus exemplum in Christo Domino, cū aliqui ex discipulis & nominatim Iudas de b *Maria Magdalena* murmurarent. Christus enim in communi omnes monuit, & corripuit: nam neque Iudas ob cordis sui duritiem capax erat particularis reprehensionis, neque par erat, reliquos non aduertere murmurationis malitiam, & eius curatiōnem.

CAP V T XIII.

PLURIMUM REFERRE AD CONCORDIAM ET MUTUUM cum omnibus commercium conseruandum, valde melancholicam aut valde cholericam naturam moderari, & pertinacem, aut vindicta cupidam domari.

INTER cetera, quæ concordiam Reipublicæ & Familiæ, & humanam mutuam familiaritatem, & consuetudinem euertunt, non postremum locū obtinet naturalium propensionum diuersitas & contrarietas: cū scilicet quisque præceps eō fertur, & inclinatur, quod naturalis corporis constitutio propendet. Ex quo fit, vt alij cholericici sint ac ve-

hemen-

hementes; alij sedati, phlegmatici, & lenti: hi melancholici, timidi & pusillanimes; illi hilares, audaces, & proiceti animi: atque inde prouenire solet naturalis quædam auersio, & animorū alienatio, quā Philosophi *Antiphatiam* vocant, inter eos, qui diuersa sunt huiusmodi corporis constitutionis: aded, vt alter alterius actiones motusq; & studia fugiat, ac detestetur: ac proinde eiusdem vitet consuetudinem & familiaritatem. Atque vt plerique mortaliū ab hisce motibus & propensionibus abripiuntur: ita vix vnionem & pacē cum ijs ineunt, qui eiusdē nō sint propensionis & constitutionis: aded, vt neq; versari cum eis possint. Quare cholericis phlegmaticos, & illos hi vicissim horrent, tristes ac tetrici iucundos & hilares declinant; sicut hi illos vicissim, atque ita rara est inter eos familiaritas & consuetudo.

QVAMOBREM nihil aded pacem & humanum mutuum hominum commercium iuuat, atq; quoddam sinistrae suas propensiones & excessas quique agnoscant, ad quos misera illorum cōstitutio impellit, & eandē viriliter mortificent, seipsoś vincentes, virtuteq; inclinantes ad alterum extremum, vt sic medium teneant studiosum, quod prudentia dicitur ad quam directio hęc & gubernatio spectat. Quāuis præcipuus gubernator, sit spiritus S. qui cælestibus suis inspirationibus, ac dictamine conscientię fide illustratę, & virtutū habitibus exornatę (quarum munus est has passiones domare) perfectissime id præstat, nam quemadmodū industrius auriga currum dirigit quatuor Equorum, quorum alij ferociores sunt ac velociores; alij tardiores, omnium habenas in manu tenēs, tardos vrget, & veloces retinet; vt pari passū omnes progrediantur: ita Spiritus S. Electorum Remp. suis impulsibus & virtutum habenis ita gubernat: vt vehemētes & cholericos cōtineat, phlegmaticos verō vrgeat; pusillanimes excitet, ac reprimat audaces; tristes exhilaret, valdē verō laetos & hilares cōponat ac moderetur: vt pari omnes passū in bonorū operū exercitio progrediatur: eum in modū, quō superius dicebamus: quoddam sancta a quatuor animalia, quę glorię Domini currum vehēbit: quę quāuis aded essent inter se diuersa, vna tamen gradiēbantur, eō quōd eiusdem spiritus impetum sequerentur: qui hominem bonis instar tardum impellit, vt gressum acceleret; festinantis verō instar leonis aut Aquilę impetum detinet, vt se gressibus moderatis, qui diutius durat, accommodet. Diuina enim inspiratio festinantium est frænū, & tardiorum calcar: vt omnes onus portent suorum officiorum, b Deoq; seruiant, vt Propheta dixit: humero vno: lingulis in se ipsis mortificantibus excessum, in quo sunt alijs onerosi.

HORVM omnium præclarum exemplum videre licet in moribus ingenitis ac generosis, quos Isaias Christo Domino nostro attribuens, sic dixit: b non contendet, neque clamabit, neque accipiet personam, neque audietur vox eius fortis: calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, non erit

Oderunt
hilarem tri-
stem, tristēq;
socoſi.

Quisq; su-
um exces-
sum mori-
ficet.

Tract. 1. c. 1.
a Ezech. 1. 11.
c. 6. 2. 1.

b Ios. 3. 9.

b Isa. 42. 2.
Mat. 2. 12.

tristis, neque turbulens, donec ponat in terra iudicium. In quibus verbis insinuat Propheta *septem* nostri Saluatoris proprietates, in quibus boni ciues debeant illum imitari.

§. I. *Prima familiaritatis proprietates.*

I. **P**RIMA proprietates, quæ ad suauem & humanam cum alijs familiaritatem plurimum confert, significatur illis verbis *non erit tristis*, neque ex naturali scilicet sua constitutione, nec ex inordinato aliquo accidente. *Triplex* enim est *tristitia*, quædam *studiosa*, alia *naturalis*, tertia *vitiosa*. *Prima* potuit locum habere in Christo D. N. ipse enim dixit paulò ante suam passionem: *a tristis est anima mea usque ad mortem*: & Apostolus dicit: *tristitiam quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operari*: talis est, quæ de proprijs alienisve peccatis & miserijs proximorum habetur. Hæc coniunctas sibi habet has tres præcipue virtutes: *pœnitentiam*, *misericordiam*, & *charitatis zelum*: estque semper secundum regulas rationis moderata; ne, si nimia sit, euadat vitiosa. *Tristitiæ naturalis* fundamentum & radix est humor *melancholicus* grauis & importunus ac molestus. Quæ complexio, quãuis culpabilis ipsa non sit: si tamen non reprimatur & corrigatur, facile labitur in incommoda vitiosa *tristitiæ*; quæ coniungi præcipue solet his *tribus* vitijs, *impatientiæ* scilicet, ob mala, quæ eueniunt; aut bona, quæ amittuntur, *invidia* ac dolori de prosperitatibus alienis; *acedia* siue tædio ex bonis operibus, cum diffidentia quadam & quasi desperatione, ac reliquis tentationibus, quarum supra est facta mentio. Et vniuersim, quoniam *tristitia* (teste sancto Augustino) earum rerum est, quæ contra nostram voluntatem eueniunt, ex ea prouenit, vt homines voluntati suæ valdè addicti, quibus propterea vix potest satisfieri, valdè subiecti sint inordinatis huiusmodi *tristitijs*; quarum causa tum sibi ipsis, tum alijs graues sunt & intolerabiles: *Sibi* quidem: quia *b sicut tinea vestimento, & vermis ligno*: (vt Salomon ait) *ita tristitia viri nocet cordi, & c spiritus tristis exsiccatur ossa, animus autem gaudens, aratem floridam facit: d tristitiam (ait Ecclesiasticus) non des anima tua, & non affligas te metipsum in consilio tuo, & in rebus gerendis. Incunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defensione sanctitatis*: nam gaudium producit annos, *tristitiam ergo longè repelle a te, multos enim occidit tristitia, nec est utilitas illa*, quòd etiam Apostolus confirmat, dicens: *e seculi tristitiam, morte operari*. Ex quo fit, vt cor ipsum debilitet, frangat alas, & hominem reddat ineptum ad benè fungendum suis officijs, & satisfaciendum obligationibus. Nã quemadmodum dilectio, iuxta mentem Philosophi perficit opera: ita è contra *tristitia* multos in eisdem defectus admittit: quemadmodum accidit Aaroni, qui cum valde esset tristis ex repentina duorum filiorum morte, errorem admisit in oblatione sacrificij: qui, cum propterea à Moysè corripere

I.

Tristitia.

1.

Studiofa.

a Matt. 26.

38.

2. Cor. 7. 10.

2.

Melancholica.

Traff. 2. c. 5.

§ 30.

Propria voluntas sibi molesta.

b Prov. 25.

20.

c Cap 17. 22.

d Eccl 30.

22.

e 2. Co. 7. 10.

Lib. 10. E.

in c. 4.

S. Tho. 1. 2.

q. 7. a. 3.

tur, respondit: *etiam mihi acciderit quod vides, quomodo patri placere Domino in ceremoniis mente lugubri. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem: sufficientem iudicans exultationem, quod ex tristitia esset afflictus. Denique qui valde sunt tristes, reliquis sunt in agendo graues, & omnes fugiunt eorum conuersationem, gaudentes potius coniungere se modestè & grauius letis: ac propterea de Christo Domino nostro dixit dauid: quod cum gesserit Deus oleo lætitiæ præ consortibus eius. His verbis insinuans, futurum illum in anima hac cælesti lætitiæ plenum, quam totum etiam corpus modestia & grauitate quadam diuina participaret, & omnes bene illi afficerentur: omnes etiam eius socij, hoc est discipuli, eiusdem essent participes: quia plurimum in eo sibi complacet, quod omnes in lætitiæ illi seruiant: sic enim idem Dauid: *In seruitute Domino in lætitiæ; introite in conspectu eius in exultatione.* Et Salomon, longum quendam concludens sermonem: *cognomi* (inquit) *quod non esset melius nisi letari, & facere bene in vita sua*: nam bona lætitiæ bonam promouet vitam; quæ vicissim ipsam auget lætitiæ. Quare si huiusmodi naturalis tristitiæ fors tibi contigerit, debes eius excessum mortificare, siquidem gratia naturam corrigit & emendat; & (vt sponsus dixit) *forte est vt mors dilectio* siue charitas, ad extinguendum scilicet prauam hanc connaturalem indolem: bona etiam conscientia, cordis adfert lætitiæ, quæ tristitiæ expellit aut moderatur. Sed attentiori studio fugere oportet tristitiæ vitiosam, diligentem dando operam, ne propria tua voluntati valde sis addictus; sed eam cum diuina in rebus omnibus coniungas & conformes: hoc est enim quod Sapiens dixit: *non contristabit iustum quid ei acciderit*; quia nihil ei euenit contra votum & desiderium, quod transfudit in ipsum Deum: à cuius voluntate & prouidentia acceptat & amplectitur quidquid non est peccatum; & fiducia, quam in ea collocatam habet, radices euellit tristitiæ, & cor ipsum pace implet & gaudio; redditque affabilem valde & humanum, omnibus eius Reipublicæ & familiaræ.*

§. 11. *Reliquæ familiaritatis proprietates.*

EX prima hac proprietate *secunda* oritur, quæ Propheta exprimit illo verbo. *nequeturbulentus*, hoc est, neque turbatus erit, nec præceps, aut festinans instar turbini, aut venti vehementis, qui quasi in inomento euoluit & turbat omnia: quod proprium est eorum, qui natura sunt cholericæ, & impetu quodam ac vehementia in dictis & factis suis progrediuntur; & sic turbant pacem reliquorum, & familiam; ac ipsam etiã ciuitatem commouent; quos instruit Ecclesiasticus, dicens *a noli citatus esse in lingua, noli sicut leo esse in domo tua, evertens domesticos tuos*, huiusmodi enim furij & tibi ipsi, & illis nocent: & expellis e domo

f Lev. 10. 19

Et Alijs grauius.

g f. 4. 4. 8.

h Psal. 99.

i Eccles. 2.

12. 22.

Naturæ corrigenda.

k Cant. 8. 6.

3.

Vitiōsa.

Prou. 12. 21.

Fiducia in Deum.

2.

a Eccl. 4. 34.

3. Reg. 19. 20

Tranquil-
lus sit sermo
etiam in re-
prehensionibus.

b Cant. 4. 11

c Cap. 5. 13.

Lib. 1. offic.

c. 9. § 13.

33

33

Nec tamen
sit nimis
tardus.

3-

Lib. 31. mor.

cap. 21.

d Ephes. 4.

31.

Lib. 1. offic.

cap. 18.

Absit cla-

mor.

33

33

33

Reg. 11. Bro

u. rium.

tua spiritum Dei, qui non habitat in turbatis, sed in quietis, & pacificis cordibus. Et quemadmodum Elia Prophetæ dictum est: *Dominum non venire inspiritu grandi & forti, subuertente montes, sed in sibilo aure tenuis*: ita Deus non inuenitur in ijs, qui in modo suo agendi quasi turbines & tonitrua se habent, terrentes & turbantes alios absque causa: sed in ijs, qui mansueti sunt, humani, & suaues, sicut quierus ventus & lenis, qui refrigerat quidem sed non excæcat, aut turbat. Talis igitur esse debet ratio agendi ipsius Iusti, eiusque verba ita lentè, quietè, ac tranquillè prodire, vt omnium animos ad se alliciat, refrenans naturalem & vitiosam cholera, quæ ad loquendū cum impetu & turbatione incitat: idcirco de sponsa dictum est, quod *b eius labia essent fauus*, ab apibus sanctarum cogitationum fabricatus, *qui mel distillaret*, verba scilicet dulcia, quietè, & sensum proferendo. Vt autem intelligatur, idem esse seruandum in vitiorum rephensionibus, quo tempore solet cholera magis accendi: etiam dicitur de *c labiis sponsi, quod distillent myrrham primam*: quia non solum dulcium verborum *mel*; sed etiam asperorum *myrrha* tranquillè & non tumultuariè, & animo turbato & inquieto effluere debet.

SED hoc extremum fugiens, caue ne in alterum illud incidas, vt nimis tardè & magna cum moraloquaris: id enim non minus esset alijs molestum, quam si cum vehementia & cholera loquereris. vox (inquit S. Ambrosius) non laxa, nec fracta, aut effæminata esse debet, quemadmodum aliqui titulo grauitatis effingere solent, sed integra & virilis sicut hominem grauem decet, ita vt quisque studeat vitiosum extremum, ad quod à natura propendet, mortificare: qui nimis est phlegmaticus, addat sibi calcar, ne sit in loquendo tam tardus: nimis cholericus freno contineat suam properationem: ita scribitur de glorioso Patre nostro S. Ignatio, quod cum constitutionem haberet cholericam, ita illam represserit, vt videretur esse phlegmaticus.

HVIC proprietati affinis est *tertia*, quæ illo verbo explicatur: *non clamabit, aut non vociferabitur*, nimis altè vocem extollendo, id enim efficit ira & cholera, sicut aduertit S. Gregorius allegans dictum illud Apostoli: *d omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor procul tollatur à vobis*, qui clamor valdè contrarius est grauitati & modestiæ Christianæ: cuius munus (vt ait S. Ambrosius) est hos clamores moderari: *ipsū*, inquit, *vocis sonum libret modestia, nec exiusquam offendat aurem vox fortior*. Consultiq; idem Sanctus, vt initio sermonis vtamur voce paulò demissiori, quàm soleamus; vt ita paulatim ascendamus, donec ad mediocritatem decentem perueniamus, quemadmodum à Musicis & concionatoribus fieri solet; vt nimirum modesta, sed atq; exordia, testimonium sint boni progressus futuri. Sed fusius hoc est profecutus S. Basilius, dicens: *vocis modum audientium necessitas ipsa definiat, adeò vt non ita demissa sit, vt non audiat ab eo,*

qui

qui cum loqueris: nec tamen altior, quàm sit opus; vt ille te audiat: quod si demissius loquentem audire te ille possit, ià clamor cēlebitur, ab Apostolo damnatus. non verò clamor censeretur, quando vox idē effertur, quod ad plures sermo habeatur, quemadmodum à Concionatoribus fieri consuevit, aut ad excitandos dormientes, tepidos extimulandos, aut ad affectum aliquem & sentum cordis aptius exprimendum. Quod Christum D. N. interdum fecisse Euangelistæ docent, quibus tamen non aduersatur Propheta de eo dicens: *non clamabit, & non vociferabitur*, intelligit enim de clamore aliquo hominis ira perciti: quia in communi suo cum alijs colloquio & agendi ratione loquetur modesta, humili, & graui voce: id quod aptum est *medium ad perfectionem* acquirendam. quod etiam assecutus est quidam Philosophus, qui dixit: *ad summam perfectionem volo te esse breuiloquum; raro loquum, & submissa voce loquentem*, vt medium teneamus iam indicatum.

MVLTVM ad id iuuerit, occasiones vitare altius & immodestè loquendi: V. G. non loquendo cum eo, qui procul est: si commodè possis propius accedere; non loquendo quando alij simul & confusè loquuntur; sed expectando, donec illi absoluerint. Et hoc etiam voluit insinuare Propheta cum dixit: *non audiet aliquis in plateis vocem eius*. quasi dixerit: non erit garrulus, neque loquax, sicut illi, qui simul conueniunt ad colloquendum in circulis multorum, vbi necesse est non seruari in loquendo ordinem eò quod multi sint qui simul loquantur. Etiam iuuat non laxare risu habenas in rebus letis: nam (vt Ecclesiasticus dixit) *e fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit*. Iuuat quoque pertinaciam & contentiones in loquendo tollere, quibus semper miscentur clamores. ac propterea de Christo D. N. vtrumque simul dicitur: *non contendet, & non clamabit*. Et hæc quarta proprietas est, quæ plurimum iuuat ad pacem & bonam familiaritatem cum alijs habendam: vt, quantum erit possibile; abstinere à contradicendo alijs, & contendendo cum eis absque manifesta id faciendi necessitate: iuxta illud Ecclesiastici cōsiliū: *de ea re, quæ te non molestat; ne ceteris*. & Apostolus discipulum suum Timotheum monet: *ne verbis contendat*, eò quod ad nihil sit utile, nisi ad subuersionem audientium, eosque malo contentionis exemplo scandalizandos: eò quod indicium sit superbi, arrogantis, ac pertinacis in sito iudicio hominis; & volentis semper vincere: sicut è contra valdè edificat, quod quis ab huiusmodi contentionibus modestè & humiliter desistat: quod expressè Salomon dixit: *honor est homini, qui separat se a contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis*. ille enim verè honorem consequitur prudentis, humilis, ac modesti, redditque se omnibus amabilem: quia, vt pacem cum illis habeat, vult suo iuri cedere: stulti

Pp 3

autem

Luc. 8. 9.
Ioan. 7. 37.
Et c. 12. 43.
Modestia
voci medi-
um perfe-
ctioni.
Refert Thur.
c. Tract. 35.
in Reg.
S. Benedicti.
Occasio cla-
moris col-
lenda.

c. Ecc. 21. 23.
4.
Risus &
Contentio
vitanda.

f. Ecl. 11. 9.

2. Tim. 2. 14.

autem in suis contentionibus saepe miscent verba proximos pungentia.

Li. 1. Off. c. 2

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

Hoc fufius explicuit S. Ambrosius, dicens; colloquia & sermones nostros diuidi in conuersationes familiares, & in disputationes, ad inueniendam veritatem in scientijs: & in vtrisque studendum esse ne qua sit turbatio, sed noster sermo mitis sit, suavis, humanus, beneuolentia & gratia plenus, ab omni contemptus aliorum odore vacuus: *absit* (inquit) *peritox in familiari sermone contentio*, quia semper plus vanitatis, quam vtilitatis inuoluit: & conuersatio, quae recreationis causa accipitur, vertitur in amaritudinem; & qua fouebatur amicitia, postea fouetur odium. Disputatio (inquit) sit absque ira; suauitas sine amaritudine; admonitio sine asperitate; & exhortatio sine offensione: & quemadmodum danda opera est; ne in omnibus actionibus nostris nimius affectus rationem conculcet, sed consilijs bonis locum demus: ita studendum est, ne verba nostra proferantur cum aliquibus indicijs irae, aut odij aut cupiditatis, aut affectus alterius deprauati. haec S. Ambrosius.

5.

Humilis
compatitur
non insultat
victis.

SED contentionibus inter disputandum reiectis in vltimum huius operis Tomū, addamus *quintam* proprietatem, quae de Christo D.N. dicitur: *culam quassatam non confringet*: hoc est mansuetudine, clementia & moderatione vtetur erga imbecilles & afflictos, eosque qui tanquam semiuicti suam incipiunt deserere stationem; & claudicant in progressu familiare enim est superbis & cholericis, altos suos spiritus & impatientiam ostendere in maiores ac debiliores, quibus putant se posse praeualere: quod si in contentionibus disputationum initium aliquod victoriae obtineant, non desistunt, donec omnino vincant, & alios prosternant: quod si emulationem cum alijs habeant, quos vident incipere cadere: non cessant donec eos prosternant & conterant: at humilis charitate feruens, est mansuetus, clemens, & misericors: non frangit arundinem, quae integra est; nec quassatam comminuit: non deiecit stantem, nec lapsum conculcat. non detrahit exaltatos, nec deiectis & humiliatis triumphat: potius ex misericordiae visceribus contendit consolidare contractos, lapsos erigere & oppressos exaltare.

6.

Proprietat.

Q u o d si qui illorum valde erunt *impatientes*: erga eos magis exerit suam charitatem; nam id addit Isaias, dum ait: *lucem fumigans non extinguet*: quasi diceret. si homines, qui lucem & honoris splendorem, quem habebant, amiserunt, erumpant in furorem; quod se humiliatos ac reprehensos videant; & in ea furia sunt instar lychni, qui cum arderet in lampade, flatu vno fuit extinctus, & ingrattissimum emittit fumum: ita illi huiusmodi fumum ad naves eiciunt, offendentes, & iniurijs afficientes eos, a quibus sunt humiliati ac reprehensi: nihilominus qui iustus & misericors est, eum

fumum

fumum patienter tolerat, nec vult huiusmodi impatientem ac furiosum, etiam si importunum & impudentem, pessundare; sed cum mansuetudine illum tolerat, & expectat: donec furor ille tanquam fumus euanescat, ut, eo cessante, de eius remedio agat: imitatus illustrissimum Saluatoris nostri exemplum, in quem scribæ & pharisæi insurrexerunt, & multarum iniuriarum ac blasphemiarum fumo eum afflixerunt, eò quòd vitiorum suorum eos admoneret, ac reprehenderet. Et quamuis potuisset ipse illos perdere & extinguere, noluit tamen eas iniurias vlisci; sed admiranda patientia illas tolerare: dans eis pœnitentiæ locum, qua possent ad nouam vitam resurgere.

Inustus suffert impatientem.

CAPVT XIV.

QUAS NAM DISCORDIAS EFFICIAT ACCEPTIO personarum in mutuo hominum commercio; aut sibi quod optimum est, absque iusta causa usurpare: & qua ratione illa impediantur.



ITIVM illud, quo vnum alteri absque sufficienti causa & ratione præponimus, (quod personarum acceptionem appellamus) innumera parit in Repub. & familia odia, inuidias, ac discordias: ac propterea in Scriptura sacra grauitè reprehenditur ac damnatur, & Isaias dixit de Christo D. a quod non accipiet personam. Vt autem quæ de eo dicenda sunt, facilius intelligantur, præmittimus hoc vitium tum interiùs in mente, tum exteriùs exetceri. Interiùs fit, cum, fertur iudicium, quo absque sufficienti causa aliquis alteri præfertur, ob solam speciem, quæ exteriùs apparet: cum nullum adfit sufficiens iudicium eius; quod intus in eis latet, propter quod alter alteri præferatur. Ex quo iudicio prouenit exterior executio valde perniciofa in nonnullis casibus, quos refert S. Thomas: quorum aliqui pertinent ad Iudices, de quibus in proximo Tractatu differetur, reliquorum duo sunt maximè frequente: primus versatur circa mores, titulos, ac nomina, loca & sessiones, quibus magis honoramus minus dignos, aut ob causas tali honore minus dignas; aut singularitate aliqua erga vnum inter multos aliàs æquales vtimur absque ratione speciali, quæ tale factum approbet ac iustificet. Hæc omnia à Sancto Iacobo Apostolo:

7. Proprietate.

a Isa. 42. 2.

Acceptio personarum interior & exterior.

In c. 2. Epi. S. Iacobi.

repre-

b *1ac. 2. 7.*Honor vir-
tuti, non ex-
terna species
debetur.

2. 2. 9. 6, 8. 3

Dignitati
suis debe-
tur honos.

2.

Priuata a-
micitia tol-
lenda.c *Gen. 74. 4.*
Inequali-
tas iniusta.d *Mat. 17.*
26. c. 18. 1.
c. 20. 24.

reprehenduntur, dum ait: *b fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloria. E. enim si introierit in cōuentum vir aureū annulum habens, in veste candida; introierit autem ES pauper in sordido habitu, & intendatis in eū, qui indutus est veste preclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nōne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum?* quasi eis diceret attendite, ne in cordis vestri tribunali Iudices iniusti sitis, meliorem iudicantes diuitem propter solum vestium ornamentum; pauperem verò deteriore ob talis ornamenti defectum. nam quidquid à falso huiusmodi ac temerario iudicio procedit, etiam vitiosum est; cum scilicet diuiti ob solas diuitias honor iusti tribuitur, qui pauperi ob solam inopiam denegatur: certissimum enim est, externa tantum veste neminem fieri virum bonum; sicut nec solum Habitum facere monachum: sed bonos & honestos mores eum facere iustum ac religiosum. Hoc autem exemplo vsus est Apostolus, (vt S. Thomas aduertit) vt intelligamus, honorem nemini esse denegandum, qui eo sit dignus, quocunque tandem vestium cultu tegatur, neque exhibendum indigno ob causam & titulum, quem reuera non habet: quemadmodum iniustum esset sapienti aut sancto viro propterea solum honorem denegare, quod pauper sit, aut infimo loco natus, aut eo solo titulo, quod sit princeps, nobilis aut diues, honorem ei exhibere. Quibus tamen, etiam si improbis & idiotis, alius debetur honor ratione dignitatis, aut officij, aut eminentioris loci quem habent in Repub. quæ regula si seruetur, non dabitur legitima discordiæ occasio.

Hoc ipsum melius intelligetur ex altero modo acceptionis personarum, qui est in *particularibus amicitiis*: quæ oriuntur ex causis non exigentibus speciale amorem & arctam consuetudinem; sed proprio tantum palato & gustui attendēdo: non habita ratione aliarum causarum etiā iustissimarum, id quod in familijs & communitatibus solet esse magnarum inuidiarum, ac discordiarum causa: nam qui minus, quàm ceteri sine speciali causa diliguntur, iudicāt se odio haberi, se contemni, nec sibi faueri; ac propterea iram suam conuertunt tam in eum, qui ipsi præfertur, quàm in præferentem. Et quid mirum, hanc discordiam prouenire, quando id fit absq; iusto titulo: cum etiam oriri soleat, cum adest sufficiens causa: quemadmodum apparet in fratribus *Ioseph* de quibus dicitur: *c videntes fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, toruē eum aspicientes, & cogitantes illum vita priuare, vt ex suo illum conspectu auferrent.* Imò inter ipsos *Apostolos* fuit huiusmodi turbatio, cum animaduertent, quod Christus illis præferret d *Petrū*, & filios e *Zebedæi*.

S E D quoniam parentes, Prælati, ac Domini etiam seruata ad omnes

suos

suos domesticos humanitate, possunt, imò debent *meliorum* maiorem rationem habere: & possunt etiam aliquem habere magis intimum, tanquam specialem amicum, propter commodum & utilitatem inde sibi prouenientem, danda illis est opera, vt discordiam, quæ facile oriri potest proueniant, adhibito aliquo remedio, antequam illa oriatur: iuxta illud Ecclesiastici: *ante languorem adhibe medicinam*, quemadmodum fecit idem Patriarcha Ioseph cum in Aegypto suis fratribus se manifestasset: cum enim quædam particularia amoris & benevolentia indicia Benjamin suo ex utroque parente fratri ostendisset: memor inuidia & odij, quod in ipsum ex simili causa fratres prius habuerant, discedentes pramonuit *ne irascerentur in via*: quasi diceret nolite locum dare inuidia propter hæc maioris amoris indicia, quæ Benjamin exhibui, cùm cõscij sitis causæ, cur id fecerim: sed pacem & charitatem mutuam seruate, vt ex hoc ego intelligam, vos verè esse fratres meos.

§. I. De duplici alia discordiarum radice.

HVIC acceptiõnis personarum vitio affine est alterum, quod non minus discordiam parit quàm illud: quando scilicet quis absque legitima causa *usurpat* sibi quod melius est in negotio honoris, aut bonorum fortunæ, aut alterius temporalis commodi: quod ordinariè ex duplici radice oritur. Altera est *ambitio*: nam (vt Sapiens ait) *inter Superbos semper iurgia sunt* circa puncta honoris: quia quisque illorum optimum in omnibus locum quærit absque vllò iusto titulo. quemadmodum b *filiis Zebedæi* ambientibus optima loca in regno Christi, titulo quodam cognationis, reliqui *decem* Apostoli indignati sunt: quos omnes corripuit Christus D. dicens: Spiritum illum esse *Principum gentium*, qui frequentant ambitionis scholam, quam mundus profiteretur: discipulos autem suos non de primario loco contendere, sed vnumquemq; c *ultimum* sibi eligere debere, meliori alijs (etiamsi iure aliàs suo illum habere posset) propter pacem seruandam relicto. In quem finem *quatuor* hæc documenta humilitati Christianæ valde consona & propria tibi sunt obseruanda.

PRIMUM est, vt honorem cuique debitum in vrbantate, caremonijs, titulis ac locis ita exactè exhibeas, vt potiùs debitos terminos excedas, quàm in aliquo deficias, in honore alijs deferendo: præstat enim, vt te nimium facere asserant: quàm vt turbentur & conquerantur, quod fueris parcius, nec præstiteris quod debebas.

SECUNDUM est, vt contentus & pacatus sis cum ea reuerentia & honore, qui tibi iuxta tuum statum & locum, quem tenes, debetur: nec quæras aut etiam acceptes excessum, etiam spontè ab alijs oblatum: sed modo de-

f Ecc. 14. 20.
Simulatas
prouenien-
da.
Gen. 45. 24

usurpatio.

1.

Ambitiosa.

a Pro. 13. 10

b Mat. 20. 21

c Luc. 14. 10

1.

Expedi plus
quam mi-
nusa sacra.

2.

Ipsomet tene
modum.

centi studeas illum impedire: Nam, si forte adulatorie & fecte offeratur; prudentia erit illum reijcere; quod si ex ignorantia aut nimia humilitate offeratur: *humilitatis* etiam erit illum repellere: quemadmodum Sanctus Petrus non admisit, vt Cornelius procideret ad pedes eius; sed dixit: *d surge & ego ipse homo sum*. Et idem fecit Angelus, cum Sanctus Ioannes se prostrauit, vt illum adoraret dixit enim illi: *c vide ne feceris: conseruum enim tuus sum & fratrum tuorum*. TERTIVM documentum est, vt non indigneris, aut pacem tuam perdas, etiam si alij inordinate & iniuste vsurpare & habere velint reuerentiam, & titulos sibi non debitos. Quamuis enim, quod malum est, approbandum non sit: indignatio tamen in huiusmodi casibus est indicium superbiae: quasi alterius arrogancia in proprium cedat contemptum. Quare si ex animo & candidè tanquam humilis vltimum amas locū: non propterea turbaberis; quod alter primū sibi vsurpat. Et hinc QUARTVM oritur documentum, in eo situm, vt cum magnanimitate quadam aliorum defectus feras circa reuerentiam & honorem alijs tibi debitum: nam quamuis licitè possis illa desiderare, & natura huiusmodi defectum sentiat: non licet tamen propterea indignari, & quasi vindictam meditari: potius est Christianae magnanimitatis scire hanc dissimulare, nec huiusmodi puncta curare: vt quae ad nihil sint aliud, quam vt conscientiam pungant, ac turbent: sunt enim ambitionis effectus & quasi proles, cuius damna & remedia in proximo Tractatu fuerunt posita.

d Act. 10. 20
c Apo. 22. 9

3.
Ne turb. ris
nieno f. 111

4.
Contemp-
tum dissi-
mula.

II.
Cap. 10. 5. 2.
3.
Cupida.

f Gen. 13. 8.
Cedere te
potius, quā
fuerat in-
uet.

ALTERA discordiarum radix est temporalium rerum cupiditas, quae semper inclinatur hominem, vt quod optimum est, sibi que magis accommodatum, sibi vsurpet, etiam cum iniuria & detrimento alterius: cui discordiae vix occurrere potest, nisi per charitatem & humilitatem, quae deterioribus est contenta; & ne pacem amittat, vult potius cedere iuri suo, cuius rei praclarum, & vtilissimum habemus exemplū in Patriarcha Abraham, cum intellexisset rixam inter pastores gregum ipsius & Loth propter pascua, quia utriusque optima pro gregibus suorum dominorum habere volebant. Ipse tamen Abraham statim aggressus est eam discordiam componere verbis & actionibus magni exempli & aedificationis: dixit enim ad Loth: *ne quā sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus*. Quae verba, quae magis humilia & beneuola, aut etiam magis potentia dici poterant, ad contentiones illas componendas: *fratres enim* (inquit) *sumus*, ideoque non decet inter nos esse dissensiones. Cum igitur omnes Christiani simus IESU CHRISTI Domini nostri fratres, filij eiusdem patris, qui est DEVS, & eiusdem matris, quae est eius Ecclesia: Aequum omnino est, vt non sit inter nos dissensio, aut querela vlla. Sed quoniam ad hoc non sufficiunt verba, nisi opere ipso occasiones remoueantur, ad-

fecit idem Patriarcha: quandoquidem hæc dissensio & discordia propter
 pascua est orta: *Ecce vniversa terra coram te est, recede a me obsecro: si ad sini-*
stram ieris: ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram per-
gam. O heroicam charitatem, tali viro dignam! ô quàm se ostendit
 ab omni cupiditate expeditum, quàm remotum ab ambitione & om-
 ni genere rancoris & iræ! quodnam enim medium esse potest ad v-
 nionem & concordiam obseruandam efficacius, quàm ita liberaliter
 cedere iuri suo: vt liberam proximo suo relinquat electionem, ad e-
 ligendum quod maluerit, & quod sibi magis expediet? siquidem o-
 mnes lites ac discordiæ mutæ inter homines huic fundamento inni-
 tuntur, quodd vnusquisque velit sibi quod *optimum* est; & vt alij ipso-
 rum iudicio acquiescant, ipsi verò non aliorum: quare qui his cedit; a ra-
 dice euellit omnem huius damni occasionem. At Patriarcha noster vno
 tractu volauit super id totum, quod alij iusti ordinariè faciunt: nam (vt
 Sanctus Chryostomus perpendit ius eligendi pro libitu locum, ex mul-
 tis titulis pertinebat ad ipsum; eò quodd ipse esset patruus ipsius Loth, &
 quasi eius tutor; eò quodd esset illius familiæ caput, senior, sapientior, mul-
 to potentior, ac ditior: quare æquum erat, vt Loth illi cederet, ac eligere
 quod mallet, permitteret. At ipse Abraham, quò erat maior, eò
 magis se ipsum humiliavit, & ad pacem conseruandam toti huic iuri ce-
 dere voluit, subiiciens se non maiori alicui, aut sibi pari; sed minori, hono-
 rans nepotem suum, eique permittens prius eligendi facultatem: conten-
 tus ipse accipere, quod ille relinqueret, etiam si deterius esset. iudicans, præ-
 stare parum habere cum pace, quam multa cum dissensione & turbatione.
 Sed amplius adhuc humilitatem & charitatem suam in eo (vt S. Ambr. ait)
 manifestauit, quodd videns famulos suos discordes, non se iudicauit adeò
 fortem, vt existimaret, posse dominos esse concordes: qui solent alias ami-
 citiam mutuam rescindere ob ineptas famulorum murmuraciones, & ri-
 xas. Ideoque quò *humilis*, voluit fugere discordiæ occasionem; quò verò
charitatis studiosus, voluit etiam inter ipsos pastores esse concordiam &
 vtramque familiam valde esse vnitam, vt & ipsa capita perfectam serua-
 rent vnionem, quamuis in eo aliquam ipse rerum suarum iacturam faceret.
 Quo exemplo docuit, quantam curam & operam patres familias ponere
 debeant in conseruanda perfecta pace & vnione inter suos: ex qua etiam
 ipsorummet pax & concordia dependet. Refert etiam plurimum, *statim*
 atque rixa ac dissensio inter seruos incipit apparere, eam decidere atque
 componere, antequam crescat: quemadmodum fecit Abraham: nam,
 vt ait Ecclesiasticus, *g scintilla vna augetur ignis*; & ab exigua dissensio-
 ne solet ad cruentam pugnam veniri. Maior etiam erit prudentia occasio-

Hom. 33. in
 Gen.

Lib. 1. de A-
 brah. c. 30

Dissensio
 occasio fugi-
 endæ.

Subditi eò
 ponendi.
 Statim rixa
 edetur.
 Eccl. 11. 34.

*Imo praeueniatur.
h Ruth. 2. 15
Qui cedit dicabitur.*

i Gen. 13. 10.

*k Cap. 14. 12.
l Cap. 19. 24.*

m Luc 18. 14

nes ipsas praeuenire: ne vel ipsae scintilla prodeant: quemadmodum Booz timens aliquam dissensionem seruorum suorum, si viderent Ruth intentem, se, vt cum ipsis mereret; praeuenit eos dicens: *h etiam si vobiscum merere voluerit, ne prohibeatis eam, & colligentem nemo corripiat*: nouerat enim vir prudens, saepe discordiam in familia euenire ex eo, quod alij se in aliorum officia immittant; aut sine autoritate reprehendant; aut ex inuidia quod videant, eos esse in maiori gratia apud ipsos Dominos. Ad rem itaque erit tempestiuè eos praeuocare, ne discordiae alicuius initij dent locum.

NON est tamen æquum, fructum silentio præterire, quem Abraham ex opere hoc tantæ charitatis & humilitatis collegit. non enim vacat mysterio, quod Deus permiserit Loth acceptantem libertatem eligendi, sibi ab Abraham oblatam, decipi in sua electione; & relinquentem patruo suo partem optimam, sibi accipere deteriore: *i elegit enim sibi regionem circa Iordanem ad Sodomam, quæ tunc erat sicut paradisus domini; quæ tamen breui tempore facta est deterrima, & totius mundi miserrima, & semel ipse fuisset ab hostibus spoliatus, & cum tota sua familia in captiuitatem ductus nisi Abraham illum liberasset: & postea ob Sodomorum peccata i pluit Dominus sulphur & ignem de caelo, & subuertit ciuitates, & omnem circum regionem, ac simul omnis ipsius Loth substantia ibi periit. vt ex hoc exemplo intelligamus, quantam curam diuina prouidentia gerat humilium, ita res omnes dirigendo; vt qua parte magnam iacturam facere videntur, plurima illis commoda eueniant: contra verò permittendo, vt qui non sunt humiles, nec aliorum defectus tolerantes, magnam ex eo iacturam faciant ex quo ingentia lucra sperabant. Quare, si ex charitate & humilitate alteri relinquant locum meliorem, & ea quæ sunt magis vtilia, & honorifica; nouerit Deus ita rem deducere, vt maiorem tu honorem & lucra maiora acquiras: alter verò & abiectior fiat, & commodorum suorum iacturam faciat: vt re ipsa sententia illa Saluatoris locum habeat, *m qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur.**



CAPVT XV.

DE PERFECTIONE CHARITATIS IN TOLLEN-
dis discordijs. & presertim litibus: quantum in illis peri-
culi sit, quibusq; in casibus licitæ sint.

Xijs quæ superiori capite retulimus, satis apparet rerum tem-
poraliū cupiditatem domesticarum *dissensionum* & simul pluri-
marum *litium*, quarum plena sunt iudicum sæculariū, & Ec-
clesiasticorum tribunalia, vnicam causam esse, simul & grauif-
simorum *damnorum* hinc orientium, quæ omnia *iustitia* virtus
sufficiens tolleret, si illam homines amplecti, & colere vellent: ipsa etenim
vnumquemq; inducit, vt rebus suis contentus viuat, non concupiscens alie-
nas; & alteri quod suū est ita tribuat, vt nihil quod eius sit, sibi vsurpet. Ve-
rū hodiè virtus hæc aded iacet ac sordet, vt magnopere à sorore sua *chari-
tate* iuari opus habeat, eo modo quē Christus Dominus noster in Euange-
lica lege ei commendauit, dum varia consilia & documenta in ea proponit,
ad mutuam concordiam fouendam & conseruandam, etiam cum aliquo prop-
rii iuris dispendio, & iniuriæ contra iustitiā tolerantia, facile hoc ipsa præ-
stat charitas, modò perfecta sit: talis enim, est gladius cupiditatē refecās. Huc
spectat consiliū illud Saluatoris: a *Ei qui vult tecum iudicio contendere, & tuni-
cam tuā tollere, dimitte ei & pallium.* Quasi diceret, noli tā inordinatè erga tuas
affici facultates; neque propriā ita diligas tunicā, vt quod illam retineas, amit-
tas charitatem, Deiq; & proximi inimicus constituaris, sed potius tā mode-
rato & recto amore tam diligas, vt haud grauatè bona temporalia amittas,
ne spiritualibus excidas: satius enim fuerit, corpus tuum nudum remane-
re; quàm animam tuam aut proximi, tua causa, pretiosissima charitatis veste
spoliari. Atque vt stoliditatis argumentum forer, quod *mille* valet amittere
potius velle, quàm quod *vnum* tantum: ita (teste S. Dorotheo) ob nullū tem-
porale commodum amittenda charitas est, quæ maiori interuallo omnia
bona temporalia excedit, quàm mille vnum: b *Quid autem tibi profuerit si v-
niuersum mundū lucratus fueris, & anima idcirco detrimentum patiaris?* In cuius
rei confirmationem antiqui Patres, teste Cassiano, dicebant: omnibus mun-
di bonis, quamuis maxime vtilia videantur, cedendum potius: quàm vt per-
irram, & discordiam in fraternæ charitatis detrimentum consentias, cum
Christus suaferit, vt, *c si dum offers munus tuum ad altare, ibi recordatus fueris,
quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinques ibi munus tuū, & vadas recō-
ciliari fratri tuo.* Notat verò S. Chrysostomus, Christum hic generaliter lo-
cutum, siue querela fratris iusta sit, siue iniusta; eò quod charitatem in pri-

Deest proxi-
mo iustitia,
non desit ti-
bi charitas.

a Mat. 5. 40

Expedis cor-
pus quam
anima
nuda.

Serm. 4.

b Mat. 16. 26

Collat. 26. 7
Charitas
mundo po-
tior.
c Mac. 5. 24

d i. Cor. 8. 13

c Mat. 5. 41.

Charitas
nullo da-
mno lada-
tur.

f Gen. 16. 1.

Deus centes-
simus bene-
dicit.Perferes
obdura, ta-
ber hic tibi
proderis
oliva.

mis, & quam maximè conseruari velit. Et ided Apostolus dixit: *d si esca sanda-
lizat fratrem: non manducabo carnem in eternum, ne si atrem meum scandalizem.*
Verùm id Christus Dominus declarauit in secundo, quod subiecit documē-
to, dicens: *e quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Id
est, si fueris mercenarius diurnus, stude non modò implere opus & laborem
tuum, ad quem ex pacto teneris; sed sponte tua plus adhuc labora; si ad cō-
cordiam cum proximo seruandum id necessarium esse intelligas. Quod si
importunè te coegerint, plus facere, quàm ex pacto teneris, vt duo passu-
um millia pergas cùm non nisi de mille conuentum fuisset, id etiam haud
grauatè feceris. Imò etsi duplicato onere, merces tibi non duplicetur.
noli ided propria autoritate vindictam sumere; neque ad iracundiã & im-
patientiam prouocari: sed pacem in anima cōserua, & charitatem cum pro-
ximo, nulla illius amittendæ occasione data. Hoc scilicet est consiliū ma-
gno illo Domino; qui magni consilij Angelus vocatur, dignū. Qui quamuis
impedire nolit, vt per iustitiam acquiras, quod iuste tibi debetur; aut mole-
stiam repellas, quam tibi alij inferunt: præcipit tamen, vt hoc sine vllò à par-
te tuæ præiudicio fiat charitatis: tibi que consulit, tanti eam facere; vt, ne illã
cōtemnas, aut imminuas, aliquid potius de iure tuo remittas, confidens in-
finitã illius bonitati, quod pro eadem decertabit, vel alia via damno, quod
illius intuitu pateris, occurrer. Recordare, obsecro, quid f ISAAC contigerit,
quando Palæstini, apud quos commorabatur, prosperæ illius fortunæ &
lætis successibus inuidentes, puteos à patre illius effossos obturarunt, & a-
rescere fecerunt: ipse enim damnum hoc & molestiam æquanimiter perfe-
rens, alio in loco puteum offodit, è quo magna mox aquarū copia scaturijt.
At pastores regionis illius cū ipsius pastoribus de aqua etiam hac cōtende-
runt: propterea *calumniæ* nomē puteo dedit, patienter illã sustinendo, nec in
vindictã prorumpendo: sed *alterum* mox puteum fodit; at cùm eadem rixa cō-
tigisset, imposuit illi nomen *inimicitia*; verùm cùm & hanc magna cum ani-
mi serenitate tulisset, puteum quem serui magno cum labore & molestia para-
uerant, ijs cessit, ac *tertium* effodi iussit, ac tum demū omnis cessauit contē-
tio, & contradictio: ideoq; *latitudinis* illi nomen dedit, quòd DEVS cor ipsius
dilataisset & facultates in patientiã & perseueratiã præmiū auxisset. Vt hinc
locupletes & potentes intelligant, fore, vt alij illis inuideant, ac molestiam
inferant, quas si æquanimiter ferre ac dissimulare non poruerint, tanta inde
secutura est discordia, vt vniuersa domus & familia ruinæ exponenda sit.
Verùm si *patienter* tulerint, ac dissimularint, quod sine maxima æmulorum
turbatione impedire nequeunt, eorum tandem peruiaciam superabunt; &
desideratam latitudinem, & opum augmentum breui consequentur.

HINC colligere licet: quomodo in *libris* nos gerere oporteat, quæ de

re Apo-

re Apostolus in Epistola ad Corinthios pluribus egit, quos duorum criminum in simulavit, vnum *institia* & fraternæ charitati repugnabat, alterum consilijs *perfectioris*, quam profitebantur. *g. Iam quidem* (inquit) *omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis: quare non magis fraudem patimini: sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, quia neque fornicarii, neque fures, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Multa quidem licent, sed non omnia expediunt, nec sub vllius redigi potest bonum fuerit.* Quod si propterea facitis, vt habeatis quod comedere, possitis: attendite quod *esca* quidem *ventri*, & *venter* *escis*; *Deus autem & hinc & has destruet.* Hæc quidem Apostolus, quorum tamen aliqua prohibet tanquam *crimina*; alia tanquam *imperfectiores* parum *pias* & *religiosas*. *Crimen* est (ait Angelicus Doëtor) *lites* *ciuiles* habere, quando *tres* aut *quatuor* *circumstantiæ* concurrunt. *Prima*: si sola *auaritia* & *inordinata opum cupiditas*, *litis* *causa* sit: quam Christus reprehendit in eo, qui ipsi dicebat: *h. Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, cui Dominus respondit: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorẽ super vos: videte & caute ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his qua possidet.* meritò illum, *Hominem* vocauit: cum non nisi de rebus carnalibus, terrenisque ageret, & *litẽ* cum fratre haberet; qua quamuis ad hæreditatis diuisionem spectaret: ex *auaritia* tamen ortum habebat, vnoquoque plus desiderante, quam sibi competeret. Atque hoc hominum proprium est, iuxta illud Apostoli ad Corinthios: *i cum inter vos sit zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum homine ambulatis?* Et Apostolus Iacobus id ipsum confirmat, quod aduersus diuites dicimus: *k unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscetis vestris, qua militat in membris vestris?* quasi diceret: *lites*, & *exigua illa cõcordia*, quam inter vos video, hinc ortum habent, quod *exiguam* etiam *intra vosmetipfos* *pacẽ* habeatis, & *concupiscetia vestra* & *passiones* inter se digladiantur, ac *dissentiant*: si enim *mortificatas concupiscetias* haberetis, statim *lites* & *contentiones* sine acciperent. Atque hinc *alterum*, quod *lites* *prauas* reddit, est ipse, quo geruntur, *modus*, cum *dissensione*, in qua, & *magno pacis, fraternitatisq;* quam Christiana Religio requirit, *detrimento*. Atq; hoc sentiebat Apostolus, quando admirans dicebat: *Ianne frater cum fratre iudicio commendat*: perinde ac si diceret, *vbinã* est *fraternitas*, quã habetis in Christo? *vbinam* *pax* & *charitas*, quam tantoperẽ vobis commendauit? Et sanctus Iacobus ait: *m ubi zelus & contentio est: ibi inconstantia in bono, & omne opus prauum*: nam in corde est, & inde exit quidquid ad illud prouocat.

Hinc porro originem habet *tertium* quod *lites* *vitiosas* reddit, quando scilicet *iniustitia*, *fraus*, *versariaque* *ijldem* immiscetur, petendo quod alie-

num

g 1. Cor. 6. 7

Lites trimen sunt.
Ibi lect. 2.
Si excipidi.
tate oria.
h Luc. 12. 3

ii. Cor. 3. 2

k Iacob. 4. 1

2.

Cum detrimento charitatis.
ii. Cor. 6. 6.

m Iac. 3. 16.

3.

in iniuria
ut fraus
interueniat

in Isai. 10. 1

Contra liti-
gantes.

De Maiora
tu & ha-
reditate ce-
lesti.

Cogita pro-
cessum in
extremo iu-
dicio finien-
dum.

4.
Supra.
Si cum
scandalo.
in Mat. 5. 40

b Ro. 14. 15o

num est, vel astu doloq; adhibito, ipsum consequi contendendo. Atque hoc est, quod Apostolus grauissimè reprehendit, dum conqueritur alterum alteri iniuriam irrogare, & fraudem aduersus fratrem machinari, cum tanquam seipsum amare eosdem debeant; & ipsis velle, quæ sibi ipsis fieri ab aliis vellēt. Hæc est petra scandali, in quam impingunt & caput confringunt, non litigantes modo; sed & Iudices, Aduocati, Causidici, Notarii, & quotquot iis in re iniqua per fraudem & dolum opitulantur. Aduersus quos gladium cōminatorium Isaias Propheta exerit, dicens: *in Ve qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiã scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerēt causa humilium populi mei: ut essent vidua prada eorū, & pupillos diriperent: quid facietis in die visitationis, & calamitatis de loge venientis ad cuius confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram?* Vtinã litigantes, & quotquot iis auxiliatur, strictæ illius visitationis memores essent, quam viuorum & mortuorum iudex de omnibus instituet, quando rationes illorum examinabit, vtinam animo voluerent grauem illam litem & causam, quæ in diuino tribunali, etiãnum indecisa dependet: in qua de *vita aeterna* agitur, cuius sententia non nisi in hora mortis pronuntiabitur: & in vniuersalis iudicij die coram vniuerso mundo promulgabitur: Quid ibi facies, miselle, si lites iniquas foueris, dum superueniet ista calamitas: quæ, quamuis procul tibi abesse videatur, prope tamen adest: & forsã hodierna die eadem te obrutum videbis: quis patronus in illo discrimine futurus? quis huius causæ sollicitator? si opera tua te condemnauerint, quis absoluet? si pauperes & viduæ, quas tua malitia oppressisti & spoliasti, te accusent, quis defendet? quid tibi tunc dignitatis, quæ hodie fungeris, splendor & gloria proderit; aut amplæ, quas nunc possides facultates conferent? omnia hic relinques, & lolus ad iudicium descendes, in quo, quoddam lites iniustas intentaueris, iustè damnaberis. His tribus, quæ lites vitiosas reddunt, *quartum* addit S. Thomas, *scandalum* scilicet ac turbationem quæ oritur proximo ex occasione nostræ resistentiæ, vt in grauiã propterea peccata labatur. Quem defectum insinuauit Saluator, cum dixit, non esse resistendum *in volenti tunicam nostram tollere; sed potius dimittendum esse ei pallium*, quoddam tamen rarè censendum est præceptum, sed consiliũ tantum, sicut dictum est. Et eodem spectat quod dixit Apostolus, *quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini*: quasi dicat; non nego licere aliquando litigare: sed attendite, id non semper *expedire*; & maioris esse perfectionis, pacem & concordiam cum fratribus seruare, etiam cum aliqua facultatum vestrarum iactura, & rerum necessariarum, etiam ipsius *cibi* defectu: quàm, vt hæc incommoda viteris, cum fratribus vestris litigare; nam hæc temporalia sunt, & cum vita corporis finem accipiunt, animæ verò vita est futura æterna: *b noli (inquit) cibo tuo fratrẽ tuum perdere, pro quo Christus*

MORTUUS

*mortuus est; nec proprium reputes emolumentum, quod in tantum cedit detrimentum alterius. Ex his colligit S. Thomas: Religiosos, qui pauperitatem sunt professi & omnia pro Christo reliquerunt, debere, ad suam perfectionem assequendam, lites omnes fugere, nihil proprii sibi quaerendo: quamuis eisdem æquè liceat ac sæcularibus, bona Religionis communiã etiam per litem conseruare, quando id alia via facere non possunt. Quibus addit S. Gregorius: quando necessitas nos obligat rerum temporalium curam habere, quas alij sibi vsurpare tentant, interdum expedire, id tolerare; aliquando tamen melius esse id impedire, charitate seruata: *ne rapentes non sua, semetipsos perdant*, eum in modum quo quis etiam vi proximam culpæ occasione remouet ei, qui non vult sponte ab ea abstinere: vt sic possit veram agere pœnitentiam.*

In multis præterea casibus tenetur quis litigare, quando hoc medium est ad propria bona fortunæ, & filiorum defendenda necessarium, sine quibus non potest familiam suam cum debita proprio *statu* suo decentia sustentare, quamuis seruandæ tunc sint condiciones, quæ litem iustificent, *puritas scilicet intentionis, moderatio cupiditatis*, iuxta illud Apostoli: *omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, loquens enim de se, idem alijs suadet, ne scilicet quis seruus fiat aut mancipium rerum suarum temporalium, nec ipsius litis, qua illas tuetur, sed in ea gerat se absque animi perturbatione, cû libertate spiritus, pacificè, absq; iniuria & fraude, nulla data culpabili occasione iræ aut turbationis, quæ proximo sit scandalo: ac deniq; quando aliter fieri non potest, ed quâdã alter cogat nos aut litem illi intentare; aut nos defendere ab ea, quam ipse in nos mouet: semper tamen memores sententiæ illius Apostoli: *seruum Domini nõ oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, & non litigiosum*, & alibi ait: *si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei: quæ tanquam columna est, pacis & concordie amica, & fundata in spiritu vnionis cum suo sponso.*

CAPVT XVI.

OPERA LIBERALITATIS ET MISERICORDIÆ, QUIBVS
Reipublicæ perfectio conseruatur. & eadem extendenda esse
ad egenos, peregrinos & aduenas.



Ad integram Reipublicæ perfectionem nõ satis est, quòd cines sibi inuicem *iustis* opera præstent, vt hætenus indicauimus, sed (vt initio huius Tractatus insinuauimus) necesse etiam est, *gratia* opera exercere, quæ aduabus illis virtutibus, *liberalitate & misericordia*, (quæ sunt fideles charitatis & humanæ amicitie comites) proce-

Religiosus
non litiget
pro se.

Refert. S.
Tho. supra.

Resistere a.
liquando
expedit ne
alter peccet,
et ad sta.
tuum conser.
uandum ce.
uetur.

c. 1. Cor. 6. 12

Conditioes
in lite ser.
uanda.

d. 2. Thim. 2

24.

c. 1. Tim. 3

fi. Cor. 12.

16.

Cap. 2.

Mutua dilectio.

a Gal. 6. 2.

b Prov. 18. 1.
c. 1. Ioan. 3. 13.

Dial. 1. de leg.

Cicero verò li. 2. de offi.

d Luc. 12. 35.

Misericordia est lucerna.

In Dieta s. lusus tit. 7. cap. 4.

e Apoc. 1. 13. 7. opera

Misericordia. f. 3. Reg. 6. 32.

g Luc. 12. 12.

dunt; & occupantur in beneficiendo omnibus, quos ut amicos habent: nam eos visitant, ad conuiuia inuitant, hospitio excipiunt, mutuum, cum indigent, illis dant, aut etiam gratis, solatio illis & consolationi sunt, subsidium ac remedium in omnibus necessitatibus, meliori quo possunt modo, eisdem præbent, & a alter alterius onera portant, ut sic (quod Apostolus dixit) Christi legem, quæ charitas est, adimpleant: quæ facit, ut amantium se omnia sint ita communia, ut quisque, quod sibi deest, habeat in altero; & quisque possit omnia; quia omnes iuuant vnumquemque: propterea enim Salomon dixit: b frater, qui adiuuatur a fratre, quasi ciuitas firma, & quod sunt nerui in corpore, id est in ciuitate vera amicitia: qua c omnes se inuicem diligunt, ut sanctus Ioannes dixit) non verbo, aut lingua: sed opere, & veritate.

Et quoniam multi in ipsa Republica sunt pauperes, amictu & vestitu indigentes; multi infirmi, ac debiles; acceduntque ad eandem ob varias occasiones aduenæ, ac peregrini: necesse est florere in ea charitatem cum liberalitate & misericordia aded perfecta, ut se ad omnes extendat; & quo poterit meliori modo, eorum necessitatibus subueniat. Vnde Plato Republicæ quam constituebat, hospitalitatis virtutem valdè commendauit: Et Cicero dixit: benignitatem Reip. imprimis necessariam esse, ut captiui redimantur, & subueniatur indigentibus, & vnusquisque ciuis, si diues ac potens sit, debet suæ Reip. honori consulere, reparando quantum licebit, necessitates, quibus alij premuntur: d sunt (ait Christus D. lumbi vestri præcitur) superfluos sumptus & non necessarios refecando, ut in manibus tuis non vna led plures sint ardentes lucerna operum sanctoꝝ. In altera manu sint istius opera; in altera verò misericordia. Aptè verò hæc opera lucerna appellantur, quæ se ipsas cōsumendo, lumen alijs præbent: ut intelligas, te ex ijs, quæ habes, debere aliquid auferre, tibi que subtrahere: ut his operibus splendere possis. Debes (ait S. Bonauentura) similis esse e filio hominis, quem sanctus Ioannes vidit in medio septem candelabrorum aureorum, habentem in dextera sua septem stellas septem. Sic, inquam, decet te circundari septem operibus misericordie corporalibus; & alijs septem, spiritualibus: ut cum omnibus splendens & luceas ad vtilitatem omnium; & nominatim egenorum: persuadens tibi, hæc duo operum genera esse sicut f duo ostia de lignis oliuarum, per quæ aditus patet ad sancta sanctorum gloria cælestis. Amplectendum quoq; tibi est consilium illud, quod Saluator noster dedit cuidam, ipsum inuitanti: g Cum fueris (inquit) prandium aut cenam, noli (quod in mundo in more positum est) solum vocare amicos tuos, fratres, cognatos, & vicinos diuites: ne forte & ipsi te re inuitent, & fiat tibi retributio. Sed voca pauperes, debiles, claudos, & cecos, & beatu eris: quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Eodem præter modo non solum hospitio excipies tibi notos, ac diuites per

ciuitatem transeuntes, qui etiam te excipient, cum ad illorum ciuitatē perueneris: sed etiam excipe pauperes, peregrinos, & aduenas tibi ignotos, qui non possunt tibi retribuere: sic enim (ait S. Ambrosius) ostendis, te hæc opera non temporalis alicuius cupiditate lucrifacere; sed spe æterni præmij: ut te Deus cælesti excipiat hospitio, iuxta illud S. August: *hæc dæctum, & accipe calum.* Quamuis purior sit finis & intentio, si eadem opera præstes, ut ipsi Deo in tuis pauperibus honorem exhibeas; & amore ipsiusmet virtutis; & ad charitatem & amicitiam erga omnes, etiam ignotos ostendendam. Ac propterea magni semper æstimata fuit hospitalitas inter Patres antiquos, & primæuos Christianos, qui peregrinos eadem humanitate & charitate excipiebant, atq; proprios amicos & notos. Et hoc ait Tertull. fuisse vnum ex indicij ac signis, quo veri discipuli Christi agnoscebantur. Qua de re optime Apostolus Hebræos exhortatur, dicens: *hæc charitas fraternitatis maneat in vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis: Memerote vincitorum tanquam simul victi: & laborantium, tanquam ipsi in corpore morantes, & laboribus calamitatibusq; subiecti.* Ac denique ita hæc opera erga alios præstantes, atque velletis erga vos ab alijs præstari & exerceri: si quidem eiusdem miserijs, quibus alij, subiecti estis.

§. I. *Hæc opera liberalitatis exemplis ab Apostolo insinuatis confirmantur.*

MODVM & rationem hæc opera cum excellentia præstandi, possemus explicare ex ijs, quæ fecit venerabilis Booz erga Ruth pauperem & aduenam, nisi ea de re actum fusius esset in primo Tomo. Sed multò commodius hoc ipsum declarabitur illustribus exemplis ab Apostolo insinuatis eorum, qui Angelos hospitio receperunt, existimantes esse homines; & exercentes erga eos hospitalitatem, & reliqua milericordiz opera, quæ illam comitantur, sicut erga alios faciebant. Ita Iob dicebat: *in foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Primus horum fuit Patriarcha Abraham, de quo refert Scriptura sacra, quod, cum sederet in ostio tabernaculi sui, in ipso seruore diei, & eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, currit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: Sed afferam paucillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.* Qui dixerunt: *fac, ut locutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sara simila, commisce & fac subinericios panes.* ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditq; puero:

Rr 2

qui

Lib. 7. in
Lucæ c. 14.

Refert S. Bonau. supra.
Hospitalitas
eius encomiū.
Ioan. epi 3 5

Li. de præf.
cap. 10.
h Hebr. 13. 1.

Tract. 3. c. 2.

Hospitales
Angeli in-
uisere.

1 Iob. 31. 32.
Abraham.

Qui festinavit & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat: & posuit coram eis: ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. Quis obsecro, sancti huius viri feruorem in hoc opere non demiretur? Non vacat autem mysterio, quod scriptura, hoc *in feruore diei* contigisse narrat: vt ita illius erga alios. quamuis peregrinos & ignotos, charitatem hospitalitatemque commendaret. Eo scilicet tempore ante ostium tabernaculi manebat, ac ceteris dormientibus ipse (vt S. Ambros. ait) non quiescebat; sed foris respiciebat, nū quis peregrinus aduenteret, quā domo & mensa exciperet: illius enim deliciae erant, alios hospicio excipere, & benevolentia ac benignitate illis ostendere. Talis autem hospitalitas sit oportet, (subiungit idem S.) vt praesto sit ad hospites recipiendos, obuiā procedat venientibus, ad vias respiciat, per quas venire consueuere; venire detrectantibus occurrat, & quasi cogat, ac ad diuersorium compellat. Hinc Abraham peregrinos videns non expectabat, donec ipsi aduenerent, ac diuertendi copia sibi fieri peterent; sed magna cum benignitate & celeritate properabat ad locū vbi erant, summaque animi demissione & reuerentia pedibus illorū aduolutus *adorauit*, hoc est, eosdem exosculatus est, (hoc enim adorandi verbo significatur) magna humilitate supplicans, vt quod illis parabat obsequium, a quo animo admitterent. Iustorum enim proprium est, ipsa opera, quae agunt intentione extollere, eisq; maiorem valorem addere: in creaturis *creatorem*, quae illius imaginem habent, in ciuibus *Deum*, in pauperibus *Christum* intuenso; atq; hoc animo humiliant se, & peregrinos reuerentur; Domini, quem illi repraesentant, maiestatem in eis agnoscentes: cum ipse in Euangelio dixerit: *k Hospites eram, & collegistis me*: quod hoc in casu euidenter appaui, cum in forma peregrinorum ipsi apparuerint Angeli, *placente Domino* (vt Apostolus ait) illa *hospitalitate*, quam ipsis ostendebat, sibi persuadēs, veros esse homines. Hinc etiam ortum habuit, aliud Charitatis opus, quod sanctus hic Patriarcha ostendit: cum enim domi plurimos seruos haberet, non illis opus hoc crederet; sed suis ipse manibus peragere voluit, *afferā* (inquit) *pauillum aquae, & lauante pedes vestros, ponamq; buccellam panis*: ita enim se humaniorem & benigniorem exhibuit. Quemadmodum & Christus Dominus, quamuis tanta maiestatis foret, non est dedignatus (vt ponderat S. Ioannes) *vestes deponere, linteo se praecingere, aquam in peluim mittere, & eadem discipulorum pedes lauare*: hoc charitatis & humanitatis exemplo docens, quid erga subditos, Superiores; & inter se subditi agere debeant. At si boni patresfamilias in huiusmodi rebus interdum filiorum & famulorum opera vtantur; id faciunt, tum, vt opus citius perficiatur; tum, vt misericordiae participes fiant, & erga illam afficiantur. Propterea etiam Abraham Sarā vxori iniunxit, vt peregrinis panem coqueret: & famulo, vt vitulum

1.
In feruore
diei expe-
dit.
Est. 1 de A
brah. c. 5.

2.
Vide ibid.
Perartum.
Occurrit
aduentan-
sibus.

k. Mat. 25. 35

Hab. 1. 2.

3.
Ipsemet pe-
des lauit.
Ioan. 13. 4.

Licet ali-
quando a-
lijs permis-
sare.

pararet. Quin etiam ulterius illius charitas processit: nam in verbis quidem brevis; sed in operibus amplius fuit: pauca pollicitus est, sed plurima dedit, dixit allaturum se buccellam panis: multos tamen afferri panes mandavit: non è vulgari paratos farina, sed ex *simila*, hoc est: è farinæ flore selectissimo: id ipsum & de grege fecit: è quo tenerrimum & optimum vitulum selegit neque famulis hoc credidit, qui in vsum aliorum deteriora seligere solent. Protulit etiam *lac & butyrum*, vt ex omnibus quæ habebat, conuiuium peregrinis institueret. Illud verò adhuc magis admirandum, quòd mensæ cum illis non assederit: sed famuli ministrantis instar steterit: ad obsequium promptus, & ad necessaria afferenda paratissimus. Atq; hoc pacto perfectæ charitatis & humanitatis propria munia ostendit: dum plura præstat, quàm spondet; & optima quæque elargitur; & amicis cum gaudio seruit, illius Domini exemplo, qui discipulis suis ait: *ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Verùm & aliud quid in hoc Abrahæ facto perpendendum: nam quamuis concedamus (vt Doctores nonnulli notant) maiorem illum reuerentiam exhibuisse, illi è tribus, qui apparuerunt, qui cæteris maior videbatur; opera tamen charitatis æqualiter singulis obtulit: quia obtulit se ad pedes lauandos; mensam quoque *omnibus equaliter* appoluit: Perfecta enim charitas quamuis inter hunc & illum discrimen constituat: omnes tamen admittit, & omnibus sua distribuit: tamque libenter paruo & despecto, quàm magno & honorato pedes abluir: & tam beneuolè mensam minori, quàm maiori sternit: si omnes illius beneuolentia indigeant.

VERVM prætereundum non est, quod scriptura refert, vt S. Ambrosius notat, *Saram* scilicet interea in tabernaculo delituisse; necessaria hospitibus præparando; nec foras in illorum conspectum prodijisse. Matronæ quippe honestæ, quamuis erga mulieres comes se & benignas ostendere debeant, (vt viros erga viros agere oportere diximus) erga viros tamen præsertim peregrinos, & ignotos tantam eas familiaritatem præferre non decet: sed latis fuerit, eas domi intra domesticos parietes se continentes, ea curare; quæ necessaria sunt, vt mariti ritè, debiteque, quæ faciendæ sunt, exequantur.

HÆC fuit Charitas & humanitas Abrahæ, quæ dignum se effecit, cui Deus appareret: quemadmodum Christus D. ijs, à quibus velut viator & peregrinus in Emis exceptus fuit. Quin etiam mox hanc illi charitatem est remuneratus: benignum se vicissim erga illum ostendens, filiumque promittens, qui summo vniuersæ familiæ gaudio esset, vt hinc Domini & ciues omnes intelligant: si ipsi erga proximos charitatem & humanitatem tum verbis, tum etiam re ipsa ostenderint, Deum etiam multo benigniorem erga ipsos futurum.

R 3

SIMI-

4.

Plura dedit
quam pro-
miserat.

5.

eans mini-
strat.

Luc. 22. 27.

Vide Perer.

6.

Omnibus æ
qualiter
seruit.Vbi supra.
Sara modo
sua.

Luc. 34. 29.

Merces ho-
spitalitatis
magna.

Loth.
Gen. 19. 1.

Cogendi
pauperes.

Misericordia
fructus.

Mat. 5. 7.

Et. 14. de ci-
uit. c. 28.
Dua ciui-
tates con-
traria.

a. 1. Ioa. 2. 6.

b Mat. 13. 47
c uer. 25.

pcap. 25. 34.

SIMILIS etiam fuit Charitas Loth, nec minori etiam mercede compensata. Duo enim illorum Angelorum eadem uespera Sodomam etiam viatorum forma uenere. *sedebat tunc Loth in foribus ciuitatis expectans*, num quis peregrinus eminus appareret, quem in domum suam deduceret. *hostis* itaque cum uidisset, surrexit, exiit obuiam eis, adorauitque prouus in terra, *dicens: obsecro Domini declinate in domum pueri vestri: Et manete ibi lauare pedes vestros, Et mane proficiscimini in uiam uestram*; cum uero illi respondissent in platea se manere uelle: *Loth compulsi, illos oppido*, ut qua citissime ad aedes suas diuerterent: ut euidens, si foris manere contingeret, discrimen declinarent. Quibus annuentibus, lautam cenam instruxit, & quibus potuit officij delinire contendit. in quo charitatis suae feruorem indicauit: quae dum perfecta fuerit, non modò Eleemosynam erogat, sed etiam ultro rogat; nec modò rogat, uerum etiam pauperem & peregrinum reuentem accipere compellit; praesertim ubi illius, nisi acceperit, periculum ac damnum prauidet. Hac ille se charitate dignum reddidit quem Deus e Sodomitico eduxerit incendio: Angelis hospitalitatem hanc, eodem charitatis genere remunerabit. Loth enim periculo illos, quod suo iudicio imminerebat, si in publico manerent, educere satagebat: ipsi autem illum certissimo incendio, quod impendebat, discrimini subduxere. Neque enim misericors Dei nostri cor pati potest, misericordem in alios perire.

§. II. *Omnium rerum publicarum ad duas praecipuas reductio.*

SED Tractatum hunc tandem concludamus, uinerasas cum S. Augustino Republicas & ciuitates mundi ad duas primarias, & eminentiores reuocando, unam caelestem, alteram terrenam; unam Ierusalem, alteram Babylonem. Prima est fidelium congregatio, in Dei amore, usque ad uisum ipsius despectum fundata, duabus nitens columnis siue basibus: ueritate & uirtute; fide & charitate; Christi & Ecclesiae communes & proprias cuiusque officij seruans leges; opera adhaec misericordiae exercens eo modo, quo in praecedentibus declaratum est capitulis, & latius in sequenti Tractatu deducetur. Altera est peccantium si improborum & colluuiem proprio amori usque ad ipsius Dei contemptum innixa, a concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam uitae effrenate consecrans, ideoque leges & opera iustitiae & misericordiae conculcans. Et quamuis duae haec Resp. & ciuitates ita in hac uita sint mixtae, nam mare mundi huius & b Sagena Ecclesiae Catholicae bonos simul & malos pisces comprehendit, & c in agro, & area terrae huius permixtum est triticum cum Zizaniis, & granum cum palea: in die tamen iudicij uniuersalis Christus Rex aeternus diuisione illos aeterna separabit & iustorum Rempublicam d statuet a dextris suis inter Angelos, eosque laudas

à fide.

a *fructu*, & coram vniuerso mundo honorans, per sententiam publicam illis attribuet regnum cœlorum, ob præstita opera *miseri*cordia, & impleta opera *iustitia* & mox tradet illis cœlestis Ierusalem possessionem, hoc est cœli Empyreï: vbi imponet illis *gloria* coronam, quam sancta sua vita fuerunt promeriti. Iniquorum verò Remp. *statuet ad sinistram* suam in societate Dæmonum, eos despiciens, & ad ignes æternos condēnans: eò quòd nec diuina *præcepta* seruauerint, nec *miseri*cordia opera erga egenos præstiterint. Ac proindè in momento eos in æternam inferni Babylonem præcipitabit; vbi pœnas æternas luant, quas peccatis suis fuerunt promeriti: cum igitur Christus D.N. membrum te Christianæ Reip. fecerit ciuemque Ecclesiæ suæ: superest, vt studeas esse membrum viuum; cuiusq; perfectus; & principalis pars cœlestis ciuitatis, *d exiens* (vt vox cœlestis dixit) *de Babylone, ne particeps fias delictorum eius; & de plagis eius non accipias*; excitans quoq; te ipsum ad custodiendas omnes leges, & explendas tuas obligationes, iustus existens & misericors erga omnes.

QVOD si talis tibi fors contigit, vt in aliqua ciuitate aut communitate habites, tot peccatoribus plena, quæ tanquam altera Sodoma, ob sua scelestia cœlesti exuri mereretur: debes in ea versari tanquam alter Loth, de quo S. Petrus: *e quod aspectu & auditu iustus esset, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. Qui tamen remotissimus erat ab illorum imitatione; cum potius perpetuò vigilaret & attenderet, vt bono eis esset exemplo, & omnibus beneficeret: quod si & tu feceris, liberabit te Dominus sicut ipsum Loth, ab ea oppressione & angustijs in quibus versaris: & in nouissimo Iudicij die te cum summo honore ad suâ dextram collocabit; facietque perpetuum cœlestis Ierusalem habitorem & ciuem vitamque sancti sui templi *columnam*, cum gratiarum ac donorum excellentia, quam ceteræ columna significabant, sedentem cum ipso Christo D.N. in throno gloriæ suæ, eiusque dulcissima præsentia fruentem in æterna sæculorum sæcula, Amen.



*Nunc mrx
ta post fecer.
nentur.*

*Sit mem-
brum vi-
uum.
d Ap. 18. 4.*

*Sit bonus
inter malos.
c. 2. Petr. 2. 7*